DE GRAECIS

LITERIS CVM LATINIS

CONIVNGENDIS.

FABII PAVLINI

ORATIO.



VENETIIS,
Apud Ioannem Baptiſtam Somaſchum.

∞ IↃ LXXXVI.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDIS.MO DOMINO IOANNI GRIMANO PATRIARCHÆ AQVILEIENSI DIGNISSIMO S.

DVM tu Illuſtriſſime Patriarcha Vtinum patriam meam optatiſſima tua, hoc anno, præſentia cohoneſtares, & tui deſiderium per tot annos crebris igniculis, & expectationibus excitatum, quo æſtuabat illa, nec diutius ferre iam poterat, lenires, Ego cum ſummo meo dolore, quòd meorum Ciuium gratulatio-

nibus intereſſe non poſſem, & eam, quam tibi debeo præſens obſeruantiam præſtare, in ſolennibus ſtudiorum initijs hic occupatus, ex anniuerſario publice docentium inſtituto, hanc habui in Diui Marci Bibliotheca concionem de Græcis Literis cum Latinis coniungendis. Quæ cum pleriſque non inepta viſa eſſet, præclariſſimi quidam, & docti viri, ita mecum vehementer agere cæperunt, vt (quæ illorum eſt apud me auctoritas) me inuitum quoque cogerent de ea diuulganda cogitare, ex Græcis vero honeſti, & literati quidam homines, qui interfuerunt, quotidianis ferè precibus efflagitabant, vt hoc ſui ſermonis velut præconium ederem, & gloriam vetuſtiſſimæ, pulcherrimæque linguæ, quaſi iam intermortuam renouarem. Sed, cum mihi illa non ſatisfaceret, quòd in ea nullo artificio, nulla induſtria, nullo ornatu adhibito familiariter tantum, vt in quotidianis prælectionibus conſueui, qui meus eſſet de ea re ſenſus, explicaſſem, varie tergiuerſando rem diſtuli, tandem quotidianæ cohortationis, & precum quaſi machinis expugnatus, dum illis obſequi ſtudeo, verecundia negandi edendi impudentiam ſuſcepi. Hoc inito conſilio ſtatim cæpi velle multis de cauſis, vt ea in tuo Illuſtriſſimo nomine appareret; primum quia facere ſine ſcelere me poſſe non arbitrabar, vt alij, quam tibi ſummo meæ

patriæ

patriæ Antiſtiti, atque Pontifici Principem meorum ſcriptorum editionem deſtinarem, cum ſacris ipſe ſim initiatus, & in tua Diœceſi annua mihi penſio ſoluatur, quamuis perexigua ex tam amplo ſacerdotio, quod ad me virtutis quadam opinione delatum caſus eripuit, & grauis meis ſtudijs aduerſaria conſtituta fortuna, quæ nunquam patitur me in literarum ocio ſine magno negocio conquieſcere; deinde quia tua ſingularis humanitas, qua me ſuperioribus menſibus neque tibi de facie notum complexus es, & ſtudium omne tuum detuliſti, quaſi ſuo iure videbatur poſtulare, vt quantum me ſibi illa deuinxiſſet, teſtatum apud omnes homines relinquerem; poſtremo, quia maxime omnium tu faues ingenijs, tuorumque præſertim Foroiulienſium, quorum etiam multorum ſtudia, & tenuitatem tua liberalitate, ſummiſque illis demandandis honoribus ſubleuaſti; addo etiam quod Græcis delectaris, qui in tuam domum ex totius Græciæ vetuſtiſſimis penetralibus tot eruta monumenta, magniſque ſumptibus huc aducta congeſſiſti, vt merito totius antiquitatis dici poſſit officina. Accipe igitur Illuſtriſſime Patrone non granate hoc tibi debitum Clientis tui munuſculum deuinctiſsimi tibi animi pignus, quod erit tanquam prodromus maiorum, quæ nunc intra domeſticos parietes contenta,

tenta, ſi hoc non fuerit abs te neglectum, breui, ut edantur, curabo. Vale. Venetijs id. Iun.
CIↃ IↃ LXXXVI.

Amplitudini tuæ deuinctiß.

Fabius Paulinus.

DE GRAECIS LITERIS CVM LATINIS CONIVNGENDIS.

FABII PAVLINI ORATIO.

A Primis vſque Latinæ linguæ incunabulis, ea fuit doctiſsimorum hominum opinio, omnium ætatum, & omnium ſæculorum, firmata conſenſu, atque iudicio, ut cum Latinis Græca Coniungerent, & altera alteri linguæ, tanquàm læua dexteræ, uel parenti filia inſeruiret, & Vicaria quaſi opera fungeretur. id ego priuatim ad meam vtilitatem, ſemper feci, neque operam ſolum dedi, ut Grȩcorum ſcripta intelligerem, ſed etiam Græce ipſe, quantum in me eſſet, non inquinate ſcriberem, Et cum primum hoc ad me, publica, docendi authoritate, munus delatum eſt, ad publicũ, & cõmune commodum eorum, qui me audiunt, idem ſtatui faciendum; nihilque unquàm mihi fuit antiquius, quàm ut adoleſcentes, quaſi pari gradu ad utriuſque Linguæ cognitionem, & ex ſuperiore, & ex æquo loco informarem. Sed cum animaduerterem, pleroſque non tam rei ipſius difficultate deterritos, quàm praua quadam vulgi opinione imbutos, à Græcæ linguæ ſtudio abhorrere; quorundam ſermonibus, & calumnijs labefactatos, qui, cum Aulædi ſint, (ut Græcorũ dr̄ prouerbio) eo quod Citharædi eſſe non potuerunt, damnantes, quæ non intelligunt, & noſtrum hoc reprehendunt inſtitutum.

cum

cum Latinis Græca iungendi, & Græcam ipſam linguam, tanquàm minimè neceſſariam, immo etiam ſi Dijs placet, uelut omnino ſuperuacaneam exagitant, inſectantur, & quaſi ſempiternũ illi bellum indicunt, & interunt, imbecillas adoleſcentium mentes perniciosis onerantes mendacijs; ut dicant, parum prudẽter, atque adeo male, in græca lingua percipienda, id tempus teri, quod, longe maiori cum fructu, poſſit in artibus, & rerum cognitione comparanda, collocari. Minuendam hanc ſtatui opinionem, ne altius figens radices, ſumma cum literarum, doctrinarumque omnium iactura, tam late ſerpat, tam penitus inſideat, ut cõuelli mox, atque coerceri nullo modo poſſit. Quod, ut commodius præſtari à nobis poſſit, in hoc anniuerſario proludendi munere, rem omnem ad tria quaſi capita reuocabo; & primum demonſtrabo omnes, quotquot unquam fuere docti latine Viri, ſiue hi in poetica, ſiue in oratoria, ſiue in quauis alia facultate floruerũt, a primis ad hæc vſque noſtra tempora, græcam linguam tenuiſſe; Deinde omnibus eam artibus, & diſciplinis eſſe neceſſariam; Poſtremo, ut omne perfugium omnino tollatur, fidendum non eſſe interpretibus, rebuſque conuerſis: Quæ ubi explicaro, græcæ linguæ cauſa erit perorata, atque (ut arbitror) ẽt probata. Vos vero Humaniſsimi Auditores, dum meam hanc commentationem umbratili, familiarique ſermone, quo in quotidianis prælectionibus ſolemus vti, ad docendũ potius, quam ad permouendos, aut delectandos animos, accommodato, qua fieri in tanta re maiori poteſt breuitate, conficio, cõſueta ueſtræ benignitatis, & ſilentij aura proſequentes, quæſo diligenter attendite.

Sanctum, & antiquiſſimum è doctis fuit genus Poetarum, ex quibus primus ſe ſe nobis offert, ex annalium monumentis, & hiſtoriæ memoria, T. Liuius cognomento Andronicus, qui primus Romæ Fabulã dedit, C. Claudio Centone Appij Cæci filio (ſic enim docti legunt) & M. Tuditano conſſ. (vt Cicero teſtatur, & Gellius) anno ipſo, antequàm natus eſt Ennius. Hic non ſolum cum latinis græca coniunxit, ſed domi, ac foris, (ut teſtatur Suetonius in libello de Illuſt. Gram.) cum magna ſui nominis celebritate docuit: & Odyſſeam Homeri latinam fecit. Hunc ſubſecutus, ut dictum eſt, Ennius, qui teſte Lucretio, primus amoeno, Detulit ex Helicone, perenni fronde, coronam, idem tenuit inſtitutum, & domi, foriſque vtraque docuit;

de quo, & Liuio, coniunctim, loquens Suetonius, ſic ait; nihil amplius quam græce interpretabantur, ac, ſi quid latine ipſi compoſuiſſent, prælegebant, Idemque Euhemerum Poetam, qui, de Dijs græce ſcripſerat, in latinum ſermonem uertit, & cum Oſcam quoque linguam, cum græca, & latina coniunxiſset, tria ſe corda habere (ut eſt apud Gellium) dictitabat. Poſt hęc duo prima literarum lumina, extitere complures Comædiarum ſcriptores Egregij, qui etiam ex gręcis Fontibus, omnem latinæ eruditionis ſegetem, atque materiam hauſere. M. Plautus, cuius ſermone locuturas fuiſſe muſas, ſi latine loqui uellent, credidit antiquitas, Demophilum, Philæmonem, & Epicharmum Siculum, græcos Autores, ſecutus eſt in Fabulis, quas non ſolum ſententijs è græcia accerſitis, & loquendi formulis inde deriuatis, ſed uerbis meris gręcis, & græcis etiam cantionibus interdum exornat. Næuius Tragędias complures, atque comædias probris, maledictisque refertas græcorum exemplo compoſuit, quibus eorum licentiam, atque adeò petulantiam, in carpendis, atque exagitandis hominum vitijs, expreſſit. In eandem Tragicæ imitationis ex græcis Palæſtram, & arenam deſcenderunt Pacuuius, & Accius; de quibus iudicium præclarum uno uerſiculo complexus eſt Horat. aufert Pacuuius docti famam ſenis, Accius alti. Statius Cæcilius magnam, bonamque partem, ſuarum Fabularum, à græcis tranſtulit, Menandro, cuius Plotium autore Gellio, conuertit, Philæmone, & Apollodoro. Idemque alij eius ætatis factitarunt. P. Terentius, quem ueluti latinè puritatis, & elegantiæ exemplar admiramur, adeo ſe gręcis addixit, & applicauit, ut nihil ex ſuo, ſed ex illorum tantum penu deprompſerit, Phormionē enim, & Hecyram ab Apollodoro, reliquas quatuor, quæ extant, mutuatus eſt à Menandro, quibus Romæ editis, quo facilius græcorum artes, & in ſcribendo diligentiam aſſequeretur, in Græciam nauigauit, ubi multas Menandri Fabulas latinis verſibus expreſſit, quas domum reuertens, ingenti cum literarum iactura, facto naufragio, amiſit. L. Afranius Togatarum ſcriptor ſingularis, in quibus excellere dicitur à Quilitiano, ſtilo, & dicendi genere eundem Poetam Menandrum ita dicitur imitatus, ut aſſequeretur, quare de eo dixit Horatius, Dicitur Afrani toga conueniſſe Menandro. Idē tentauit, ſed minus feliciter, C. Aquilius comædiarū ſcriptione nobilis. M. Attilius ob ſtili duritiē, & neruū ſcriptor ferreus ap-

pellatus à Licinio, ut Cicero affirmat primo de finibus; Is tñ ſcriptor, vt eodẽ autore Cicerone legẽdus ſit, Sophoclẽ, & illud nervoſum dicẽdi genus adamauit: T. Lucretius Carus, ſex, qui adhuc extant, de rerum natura libris elegantiſsimis, omnem Græcam Epicuri doctrinam, atque Empedoclis græci Poetæ Philoſophiam, græcis quam ſæpiſſimè adhibitis vocabulis, expreſſit, græcis ipſe literis, & diſciplinis eruditus. Catullus (vt multos alios prętermittam, non ita notos) gręcorum ſcriptorũ imitator acerrimus, ob quorum artes, & magni, & docti nomen adeptus eſt, multa ad græcorum normam ſcripſit, quæ temporum iniuria nõ extant; inter q̃ amatoriũ de incãtamentis, Carmen à Plinio enumeratur. Elegia adhuc legitur de Coma Berenicis, ex Callimacho, latinis ab eo numeris expreſſa elegantiſſimè: M. Furius Bibaculus Anacreontis Veneres, & Sales Romano Lepore perſecutus eſt. P. Terentius Varro Atacinus græcis literis eruditiſſimus, ſcriptorum græcorum conſectator religioſus, cuius uerſibus, & ingenio, Maronem ferunt vehementer delectatum, Argonautica Apollonij Rhodij, quattuor libris, quaſi in Theatrum Latij produxit; quem etiam autorem multis poſt annis, Octo tamen libris, qui adhuc extant, C. Valerius Flaccus Setinus, non ſolum in operis argumento expreſſit, ſed penè imitando interpretatus eſt, ſingulos ſæpe numero uerſus, tanquàm fidus interpres, reddens. Laurea Tullius M. T. Ciceronis libertus, & Græce, & Latine pulcherrima ſcripſit Epigrãmata, quorum nõnulla, vtroq; ſermone, adhuc ſeruantur. P. Virgilius Maro, quo nihil diuinius aurea illa ætas tulit, ita græcos eſt admiratus, ut nihil omnino ſcriptis mandare voluerit, niſi ueſtigijs græcis inſiſtens, & illorum quaſi lumen accenſum præferens ad uerã rationem Poematis, & diuinitatem illam græcorum indagandam, latinoque ẽt ſermone exprimendam. Hunc Pueri medius fidius, atque adeo gymnaſiorum ipſi parietes non ignorant, in Bucolicis effinxiſſe, ſeu potius expilaſſe Theocritum, in Georgicis Heſiodum, in quo contra, ac in cæteris fieri ſolet, euenit, uicit enim imitatio veritatem, In Aeneide Parthenium chium, Piſandrum, Appollonium Rhodium, & in primis Homerum, in quorum ille campis ueluti Apis excurrens, & pulcherrimos quoſque delibans flores, ſuauiſsimum illud genus carminis confecit, omni nectare dulcius, & in omnibus, græcis etiam titulis, græcę imitationis genus ſignificauit, de quo etiam Macrobius, lib. 5. ſic ait Caue,

græco-

„ græcorum quemquàm, vel de ſummis autoribus tantum Græcę
„ doctrinę,hauſiſſe copiā credas,quantā ſolertia Maronis,uel aſſe
„ cuta eſt,uel in ſuo opere digeſſit. Horatius in ſermone latino fere græcus,ubique nouas è Gręcia copias, & opes in latinam linguam inuehit,& deriuat parce detorquens, ut, non ſolum ſe græce eruditum fuiſſe demonſtret; ſed uix ab his, qui græce neſciant,intelligi recte poſſe,uideatur; ex Gręcis, Alcæum, Simonidem, Pindarum,Cæteroſque Lyricos,eſt imitatus,atque etiā Athenas,græcorum ſtudiorum, & artium amore inflammatus, aliqñ ſe contulit; ut liberius illorum diſciplinis nauare operā poſſet. Huius animæ dimidiū,Mæcenas (ut ipſe inquit) inter poetas enumeratus ab Hiſtoricis, doctus utraque lingua fuit,vt idem teſtatur Horatius lib. 3. vocans eum doctum ſermones utriuſque linguæ. Sex. Aurelius Propertius, qui primas,apud latinos,in elego carmine ſibi vendicat (vnum tamen ſemper excipio Tibullum) ſe totum ad Mimnermi, Callimachi, & Philetæ, gręcorum Poetarum imitationem, effinxit,quod ipſe teſtatur;

Callimachi manes, & coi ſacra Philetæ
In veſtrum quæſo me ſinite ire nemus.

Et aliàs etiam non dubitauit, ſe Romanum appellare Callimachum. Cornelius Gallus, idem præſtitit, & Euphorionem græcum Poetam in latinum uertit; Ouidius græcè etiam fuit eruditus,qui in vario illo,& Pulcherrimo Poemate, quod græco uocabulo inſcripſit μεταμορφώσεων, ad id,quod ſupra de Vergilio retuli,declarandum, Partheniū Chium, qui pari argumento gręcè ſcripſerat, eſt imitatus,tātumq; laudis ex illius imitatione eſt aſſecutus,ut ſuo,amiſſo,hunc ſibi Græcia,pro illo,uſurparit, gręcū enim hunc librū Maximus Planudes fecit,& illū habet in delitijs Græcia: Idem alterum Poema conſcripſit de Piſcibus Gręco titulo ἁλιευτικῶν, in quo, ſummum pręclarę doctrinę ſpecimen dediſſe Grammatici teſtantur, & cum exulabat in Schytia, Libentius gręca lingua,aut latina ſe uſurum profitebatur, quamuis Geticam quoque didiciſſet, ſeu gręca ſcierit, ſiue ille latina voce loqui, certe gratior uſus erit, quod non ſolum ipſe pręſtitit, ſed etiam docuit faciendum his verſibus.

Nec leuis,ingenuas pectus coluiſſe per artes
Cura ſit,aut linguas edidiciſſe duas.

Aemilius Macer,cuius carminis elegantiam commendat Quintilianus, pręter opus de Bello Troiano, ſcripſit libros de Herbis,

& venenatis Animantibus, Nicandrum Colophonium, cuius adhuc extant grçca Poemata, ſumma cum laude conſectatus; quod, niſi græcè fuiſſet eruditus, præſtare minime potuiſſet. M. Mallius, qui de rebus Aſtronomicis, heroico carmine, libros quinque adhuc ſuperſtites conſcripſit, grçcis fuit literis non mediocriter imbutus, & Hipparchum, Eudoxum, atque Aratum eſt ſecutus. L. Anneus Seneca Tragicus, ab Euripide, & Aeſchilo ſuas Tragedias accepit. C. Germanicus, inter Poetas Heroicos enumeratus, ſumma cum laude à Quintiliano, græcas comœdias reliquit, idemque opus Arati de Cœlo latinis numeris donauit, quod ante Cicero in Adoleſcentia fecerat, & mox ſub D. Hieronimi tempora (ut ipſe teſtatur) Ruffus Feſtus Auienus, qui etiam librum de Orbe terrarum Dyoniſium græcum ſecutus condidit, & iambico uerſu de maritimis quoque rebus librũ ſcripſit, Hecateium Mileſium, Hellanicum Lesbium, Philonem Athenienſem, Pauſimachum, Euctemum, Cleonem Siculum, aliosque complures adhibens, & ad imitandum, & ad res ipſas ex eorum fontibus hauriendas; cuius adhuc extant Epigrammata grçca, quamuis alterius Auieni, multi ea eſſe contendant. Veſtritius Spurinna commendatur à Plinio, 2. lib. epiſt. quod Lyrica utraque lingua ſcriberet doctiſſima. Auſonius Gallus librum, qui extat, Epigrammatum, magna ex parte, a Grçcis accepit, multaque epigrammata mixta ex græcis, atque Latinis fecit, fuitque grçcè, & latine peritiſsimus. Septimius Afer, cuius meminit cum laude Terentianus, in hymnis latinis, grçci Callimachi perſonam induere conatus eſt. Iunius Iuuen. in ſuis ſatyris, nõ ſolum græca uocabula uſurpat inflexu latino, ſed mere grçca uerba intermiſcet. Statius Papinius, ex Antimachi, cuius operoſiſsimum opus eſt ſecutus, aliorumque Poetarum græcorum imitatione facile declarat, quàm fuerit à Græcis literis non alienus. Idem in reliquis poetarum ſcriptis aſſequi coniectura poſſumus; ut in Valerio Martiali, in Lucano Sillio Italico, Prudentio, Claudiano, T. Calphurnio Siculo, Aurelio Nemeſiano, qui poſtremi Bucolica ſcripſerunt; Mauro Terentiano, Vtroque Paulino, Pontio. ſcilicet & Meropio, cæteriſque, ſi qui extant præter hos, quos omnes, a grææ linguæ eruditione non inopes fuiſſe, aut rudes, vel ex illorum, (vt dicebam) ſcriptis, & ſtilo conijcitur, uel ex grammaticorum fide, & teſtimonio colligitur, uel ex annalium denique monumentis conſtat.

In

In quo ſatis mirari non poſſum noſtrorũ hominũ,atq; adeò ſæculi ignauiam,quòd cũ ueteres illi,commiſſum propè ſcelus, & admiſſum dedecus arbitrarẽtur,niſi grçcas literas,cum latinis addiſcerent, & eſſent (ut Suetonij vtar uerbo) Semigræci, noſtri magnum neſcio quid ſe ducant aſſecutos, ſi unam latinam primoribusque etiam (ut aiunt) labris delibarint, extremiſue digitis attigerint, tantumque abeſt, ut de his ex ueterum inſtituto iungendis cogitent,vt potius cum græca latinam quoque eijcere,& de legitima totius Orbis poſſeſſione conentur deturbare, unam hanc hetruſcam linguam,quaſi pulchellam adoleſcentulam blandiſsimáquè dominã dulcibus verborum Lenocinijs, & vocularum illecebris aures demulcentem, ut ſuas delitias amplexati.In quo nõ eos reprehendo,quòd hetruſcam adamarint, ut doctiſsimi quidã Viri, qui nimio duarum ſuperiorum amore fortaſſe inflammati explodendam hanc, & tanquàm prodigium de hominum cõmercio eijciendam exiſtimarũt, (non enim ego is ſum,qui nefas eſſe putem eam laudare, qui non inficior me illi multum quoque debere, & rudem eſſe ab illa aut inertiſsimç ſegnitiæ eſſe,aut faſtidij,delicatiſſimi duco nec ſatis dici poſſe eruditos,quibus noſtra .i. hetruſca ignota ſint,neq;.n.tam prçclarum eſt hetruſce ſcire,quam turpe neſcire,cũ non tã docti, quã Itali,hominis propriũ videatur,) ſed iuſtiſſimã hãc effugere nullo pacto poſſe reprehenſionem puto, quòd græcam, & latinam huius altrices,atque parentes, (vt quidam docti, ipſiuſmet non negant laudatores Albertus Lollius,in ſua oratione, Benedictus Varchius, & alij) quarum illa lacte educatur,atque alitur,eijciãt, atque contemnant, (ſed ut eo reuocetur, unde huc declinauit oratio) ne quis fortaſſe putet,ſolos Poetas græcis literis delectatos,cæteros non admodum huic ſtudio animum applicuiſſe, ad oratores quoq; veniamus.Inter hos, Princeps nobis occurit Cato tergemino illo honore à Plinio,& antiquitate cohoneſtatus, quòd ſummus eſſet orator,Imperator,& Senator, qui ad Ciceronis temporum rationem (ut ipſe inquit)ita uetus erat, vt nullius ſcriptũ extaret dignum quidem lectione, quod eſſet antiquius. Hic ſero quidem,ſed tamen optime cognouit, nihil ſuam futurã fuiſſe eloquentiam ſine græcis literis, & ideo ingraueſcentis iam ętatis flexu, eas diligentiſſime perdidicit Ennio vſus doctore, ſi Plinio Nouocomenſi credimus, ſiue quis alius eſt libelli autor de viris Illuſtribus; Quare Cicero eleganter in ſuo Catone io-

catur

catur, dicens, quod ſi eruditius, uidebitur loqui Cato, quam cõſueuit ipſe in ſuis libris, id tribuendum græcis literis, quas didicerat Senex, nec mirum quòd ſero, quia etiam latinas (vt Valerius teſtatur) pene iam Senex didicit. Huius mirifica proles, Inferior Cato cognomento Vticenſis ita græcæ doctrinæ cupiditate flagrauit, ut, ob inexhauſtam legendi græcos libros auiditatē, helluo librorum à Cicerone ſit appellatus, qui cum ſatiari non poſſet, nec reprehenſionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipſa curia græcos lectitaret, dū ſenatus cogeretur; ut Cicero, & Valerius teſtantur. L. Aemilius Paulus Africani pater, non pugnando ſolum Imperatoris, ſed etiam dicendo perſonam Principis ciuis tutatus eſt, & grçce optimè ſciuit, quippe, qui à T. Liuio lib. quinto, Dec. 5. dicatur, græce Perſem Regem allocutus, & Plutarchus filios grçcis artibus ipſumet imbuiſſe teſtetur, cuius etiam in exercitu milites græce non neſciuiſſe conſtat, cum dicat Liuius Gn. Octauium Prætorem ea, quæ Paulus latine pronuntiaſſet interpretata ſermone græco retuliſſe, Africanus ipſe (ut ſæpè Cicero teſtatur) Socraticum Xenophontem ſemper habuit in manibus, & præſertim Cyri παιδείαν nunquàm dimittebat, cum optime græce ſciret, à Patre ſcilicet, ut diximus, eruditus, ſemperque ſecum habuit frequentiſſimos, aſſiduoſque comites græcum ſtoicum Panætium, & Hiſtoriæ græcæ fere Principem Polybium. Cornelius Scipio, is qui minorem Scipionem, de quo diximus, à Paulo adoptauit, Hiſtoriam quandam græce reliquit ſcriptam dulciſſimè, Sulpitius Gallus, is, qui cum eſſet in Macedonia trib. mil. pridie, quam Perſes Rex ſuperatus à Paulo eſt, in concionem ab eo productus pronuntiauit nocte proxima (nequis id pro portento acciperet) lunam eſſe defectu ram, mox compoſito volumine rationem demonſtrauit, in oratorum numero habitus, maximè omnium nobilium Græcis literis ſtuduit. Tit. Sempronius Gracchus P. F. Gracchorum pater, qui bis conſul, & Cenſor fuit, inter eloquentes à Cicerone numeratus in Bruto, licet in primo de oratore Scęuola neget fuiſſe Eloquentem, grçce ſcriptitauit Orationes, cuius vná apud Rhodios extitiſſe ſuo tempore idem Cicero teſtatur: A. Albinus, qui cōſul cum L. Lucullo fuit, homo literatus, & diſertus græce ſcripſit Hiſtoriam, cuius initio, quoniam petit ueniam, quod Romanus homo minus eleganter græcè ſcripſiſſet, merito dicitur à Catone reprehenſus, ut Gellius, & Macrobius referunt, non quod

græce

græce ſcripſiſſet, ut nonnulli ſuſpicati ſunt, ſed quoniam excuſationis anſam in Romano nomine quęſiſſet, cum Romani, nõ minus, quam græci, gręcis literis eſſent eruditi, & quod gręce ſcribere eſſet aggreſſus, antequam optimè ſcribere didiciſſet, quod facile ipſius reprehenſionis uerba declarant. næ tu (inquit) Aule nimium nugator es, qui maluiſti culpam deprecari, quam culpâ uacare. C. Lęlius ſapiens appellatus, quem Africano comparat Cicero, utrumque in Oratorum numero recenſens, græcis hominibus, & literis uehemẽter eſt delectatus, & Adoleſcens Diogenem Stroicum audiuit, mox Panætium, de quo Cicero in primo de Oratore, ſic ait. Non tulit ullos hęc Ciuitas, aut gloria clariores, aut humanitate politiores, P. Africano, & C. Lælio, & L. Furio, qui ſecum eruditiſſimos hominos ex Græcia palã ſemper habuerunt. Pub. Craſſus ualdę probatus orator, & ingenio ualens, & ſtudio, is, quem ſcribit Gellius quinque habuiſſe rerum bonarũ maxima, quod doctiſsimus, quod nobiliſsimus, quòd eloquentiſſimus, quòd iuriſconſultiſs. quòd Pontifex Maximus, cum in Aſiam ad Ariſtarchũ Regem debellandum Conſul ueniſſet, tanta cura (ut Valerius tradit, & Quintilianus) grææ linguę notitiam animo cõprehendit, ut eã in quinq; diuiſam genera per omnes partes, & numeros penitus cognoſceret. C. Fannius M. F. C. Lęlij, de quo ſupra dictum eſt, Gener, Orat. in numero habitus, licet moribus, & ipſo dicendi genere durior, Lęlij Soceri inſtituto, Panętium Stoicum græce docentem audiuit, & Hiſtoriam etiam ſcripſit non ineleganter. Eiuſdem Lęlij alter, & carior quoq; Gener. Qu. Mutius Augur Scęuola, de quo ſepe tanquã ſapiẽtiſsimo meminit Cicero, qui licet Orat. in numero nõ fuerit, iuris tamen Ciuilis intelligentia, & omni prudentiæ genere pręſtitit, ad quem Cicero, à Patre deductus, a latere nunquam diſcedens, fieri ſtudebat illius prudentia doctior, à græcis literis, & artibus non abhorruit: nam in primo de oratore apud Ciceronem ipſe teſtatur, ſe Panętium audiuiſſe, & quędam, quę ab eò acceperat, cum Prętor Rhodum ueniſſet, cum Apollonio contuliſſe, quique etiam Athenis, cum Prętor Rhodum proficiſcens, eò ueniſſet, T. Albutium, qui in ea ciuitate ſtudebat, irridens gręce ſalutauit, ex quo maximę inter illos fuiſſe dicuntur ſimultates, Ille ipſe T. Albutius, qui diu Athenis ſtudiorum cauſa commoratus, perfectus Epicureus euaſerat, doctiſſimus gręce fuit, & pœne gręcus, inquit Cicero, quod ex eius

orationibus potuiſſe dicit iudicari, neque ſolum genere ſcriptiõnis, & literis fuit pœne græcus, ſed etiam appellari græcus uoluit, ex quo anſam, & occaſionem cæpit Scæuola deridendi in ſalutando, de qua re quoniam elegantes quidam verſiculi Lucilij ſunt apud Ciceronem in primo de finibus, hic quoque libuit recitare.

Græcum te Albuci, quam Romanum, atq; Sabinum
Municipem Ponti, Titij, Anni, Centurionum
Prȩclarorum hominum, ac Primorum, ſigniferumque
Maluiſti dici, græce ergo Prætor Athenis.
Id quod maluiſti, te, cum ad me accedis, ſaluto
χαῖρε inquam Tite, lictores, turma omnis, cohorsque
χαῖρε, hinc hoſtis Muti Albutius, hinc inimicus.

Qu. Lutatius, in quo fuit incorrupta quædam latini ſermonis integritas, quæ propria erat Catulorum Laus. & virtus, ita locutus utraque lingua dicitur, ut non ſolum Romani latini ſermonis, ſed etiam græci ipſi ſolerent ſuæ linguæ ſubtilitatem, elegantiãque concedere. Tib. Gracchus alterius Tib. Gracchi fil. P. Africani ex filia nepos, cui ſi talis mens ad remp. benegerendam fuiſſet, quale ingenium ad benedicendum fuit, nemo illi (ut inquit Cicero) gloria præſtitiſſet, diligentia Matris Corneliæ, cuius magis ſermone, quam gremio dicuntur filij educati, cum etiam doctiſsimas poſteris reliquerit Epiſtolas, doctus maxime, & græcis literis eruditus fuit: nam & ſemper habuit exquiſitios è Græcia Magiſtros, & in eis iam adoleſcens Diophanem Mitylænæũ Græciæ temporibus illis diſertiſsimum; quod idem de C. Carbone eius ſocio exiſtimandum eſt, cum eos Cicero coniungat in omni genere laudis oratoriæ; ſed multo magis de C. Graccho fratre, ſub eadem Matris diſciplina educato; quem etiam Fratri antepoſuit Cicero, & nemini conceſſiſſe dicit, (cum eſſet præſtãtiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio) qui plenior eſſet, uel uberior ad dicendum; huius immaturo interitu res Romanas, latinaſq; literas damnum feciſſe teſtatur, quem imprimis iuuentuti legendum iudicabat, quòd non ſolum acuere, ſed etiam alere ingenium poſſet. Fannio Gracchus, Graccho Fannius, alter alteri ſolebat obijcere, quòd græcorum Rhetorum in ſcribendis orationibus, quæ placuiſſent, opera uſi eſſent, ut de Perſio, & Menelao Maratheno, & de cæteris, eſt apud Ciceronem mentio. D. Iun. Brutus, M. Filius, qui cum P. Cornelio Scipione Naſica

Sera-

Serapione conſul fuit, laudatur à Cicerone, quod dicere non inculte ſoleret, & eſſet cũ literis latinis, tũ etiã græcis, vt tẽporib. illis ſatis eruditus, P. Rutilius Rufus in ſeuero ſtoicorũ dicẽdi genere verſatus, quod peracutũ quidẽ erat, & artis plenũ, ſed tñ exile, nec ſatis populari aſſenſioni accomodatum, vt in ipſius Rutilij Iudicio apparuit, in quo innocentiſsimus ipſe damnatus eſt, doctus vir fuit (vt inquit Cicero) & græcis literis eruditus, Panętij Auditor propè perfectus in ſtoicis, M. Antonius, & L. Craſſus duo Romanæ eloquentiæ lumina, & maximi omnium Oratores (vnum tamẽ ſemper Ciceronem excipio) in quibus primũ, cum gręcorum gloria, latine dicendi copiam æquatam affirmat Cicero, vterq; fuit græcis literis eruditiſsimus; de Craſſo Cicero in 2. lib. de Orat. in Procemio ſic ait. Etiã illud ſæpe intelleximus (cum eſſemus eiuſmodi, quod vel Pueri ſentire poteramus) illũ, & græce ſic loqui, nullam vt noſſe aliam linguã videretur, & doctoribus noſtris ea ponere in percũctando, eaq; ipſum in omni ſermone tractare, vt nihil eſſe ei nouum, nihil inauditum uideretur. M. vero Antonius, quamuis diſsimulator eſſet, & nollet videri didiciſſe, in primo de Oratore apud Ciceronẽ literas gręcas ſero, & leuiter ſe attigiſſe teſtatur, eas vero ſic attigerat; ut cũ in ſecundo græcos hiſtoricos recenſuiſſet, & accurate, & ſcienter de vno quoq; dixiſſet, ita Cęſar exclamauit, vbi ſunt, qui Antonium græce negãt ſcire? M. Marius Gratidius Ciceronis propinquus, Orator ſatis celebris, doctus fuit græcis literis. Q. & D. Valerij Sorani, eodem in numero Oratorũ, nõ tam fuere in dicendo admirabiles, quam docti græcis literis, & latinis. L. Philippus, duobus illis, quos paulo ante recẽſui, Craſſo, & Antonio proximus, ſed longo tñ interuallo, Ciceronis iudicio, proximus, erat imprimis, vt temporibus illis, græcis doctrinis inſtitutus. Huius ętati propè coniunctus D. Brutus, is, qui Conſul cum M. Aemylio Mamerco fuit, & græcis fuiſſe doctus literis, & latinis perhibẽt. L. Aelius Vir Egregius, & Eques Romanus, cum primis honeſtus, idemq; antiquitatis, & in inuentis rebus, & in actis, ſcriptorumq; veterum literate peritus, quam ſcientiam M. Ter. Varro acceptã ab illo, auctamq; pluribus, & illuſtrioribus literis explicauit, eruditiſsimus & græcis fuit literis, & latinis. L. Lucullus, cuius ingenium, & memoriam tantopere laudat Cicero, & admiratur in Academicis, Bellum Marſicum (vt teſtis eſt Plutarchus) græce ſcripſit. L. Siſenna, & Orator, & ſcriptor Hiſtoriarum,

vt ſuis temporibus , egregius, quippe qui omnes vinceret ſuperiores Iudicio Ciceronis,ſed tamen multū abeſſet à ſummo (nō dū enim genus illud ſcriptionis ſatis fuerat latinis literis illuſtratum) doctus vir fuit, & græcos ſecutus in ſcribendo,imprimiſque Clitarchum , cuius adeo ſtudioſus fuit, ut primo de legibus dicat Cicero,Vnū Clitarchum,'neq; præterea quemquā de Græcis,illum videri legiſſe,eumq; velle duntaxat imitari;idem Ariſtidem vertit,vt ſecundo de Triſtibus teſtatur Ouid.

Vertit Ariſtidem Siſenna , nec obſuit illi
Hiſtoriæ turpes inſeruiſſe iocos.

Marcus Pupius Piſo Calphurnianus Orator non ineptus,quippe qui habuit à natura quoddam genus acuminis,quod etiam arte limauerat,in reprehendēdo verſutus,& ſolers maxime ex omnibus,qui ante fuerunt,grȩcis doctrinis eruditus fuit, Græcumque hominem adoleſcens domi habuit peripateticum ſtaſeam , vt in primo de Orat.Cicero,& apud eū idē ipſe Cicero eloquētiam etiam pudicitiæ iactura perdidiciſſe dicitur,vt obiecit Salluſtius(ſi modo eius eſt illa in Ciceronem Oratio) Cenſorinus in eadem ſerie, & laude collocatus Orator græcis literis ſatis fuiſſe,a Cicerone doctus perhibetur.C. Memmius Lucij filius argutus orator,qui diu fuit Athenis,& ad quem uelut Epicureū,Lucretius Epicureus , ſuos de rerum natura,libros ſcripſit, perfectus fuit literis,ſed græcis potiſsimum. Titus Accius Piſaurēſis, cuius accuſationi reſpondit , pro Aul. Cluentio, Cicero, grȩci Rhetoris Hermagoræ prȩceptis fuit eruditus. Q. Hortenſius Ciceronis æqualis , in Oratorio Regno , pȩne dixerim par, ſocius certe,& glorioſi conſors laboris,vt ab ipſo Cicerone appellatur ī Bruto, græcis literis fuit imbutus,ipſius teſtimonio Ciceronis, qui vocem illius appellat eruditam , & Romanis,grȩcisq; auribus dignā.Ser.Sulpitius Princeps in iure Ciuili,cuius adhuc quȩdam ſcripta,& Epiſtolæ extant,cum Cicerone ſe exercuit in dicendo,& in ijſdem exercitationibus,ineūte ætate fuit, & poſtea Rhodum vna cum illo profectus eſt, quo melior eſſet, & græcis literis doctior:ipſe denique Cicero Romanæ pater eloquentiȩ , ſemper cum latinis græca coniunxit,vt de ſe ipſo teſtatur in primo de officijs,primo de Orat.& alibi quoq; in multis locis, idēque ſtuduit, ut filius par eſſet , in vtriuſque orationis facultate , quem primum ſemper græce erudijt, mox latine , vt apparet in partitionibus,ubi quærit uiciſsim, Patrem interrogare latine, de

his, quæ græce ab ipſo didicerat; Is inquam Cicero cum ſtoico Diodoro Dialectico operam daret, ita huic doctori, & illis græcis artibus ſe fuiſſe deditum ſcribit, ut ab oratorijs exercitationibus nullus illi dies vacuus eſſet. Commentabatur declamitans ſæpe cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque ſe feciſſe dicit multum etiam latine, ſed græce ſæpius, quia græca oratio plura ornamenta ſuppeditans conſuetudinem quoque ſimiliter latine dicendi afferebat, & id neminem diutius ſe feciſſe aſſerit primo Tuſcul. cum ad Præturam uſque (vt Suetonius in Rhetoribus teſtatur) græce ſemper declamarit; Idem cum eſſet biēnium verſatus in cauſis, & iam in foro celebratum nomen Ciceronis eſſet, non contentus hac laude, vt alterum de Græcia Triumphum, eloquentiæ ſcilicet ereptæ reportaret, Athenas venit, & ſex menſes, cum Antiocho veteris Academiæ nobiliſsimo, & prudentiſsimo philoſopho fuit, & eodem tēpore cum Philoſophiæ vacaret, apud Demetrium Syrum veterem, & non ignobilem dicendi Magiſtrum declamitabat; mox eiuſdem rei ſtudio vniuerſam Aſiam peragrauit, cūque ſummis Oratoribus ipſis lubentibus, & admirātibus exercebatur, inter quos Principem recenſet Menippum ſtratonicenſem, tota Aſia illis tēporibus diſertiſsimum, aſsiduiſsime ſecum habuit Dyoniſium Magnetem, Aeſchilum Gnidium, Adramitenum Zenoclem, qui tum in Aſia Rhetorum Principes numerabantur. Quibus non contentus Rhodum uenit, ſeq; ad eundem, quem Romæ audiuerat, Molonem applicauit, in notandis, animaduertendisq; vitijs, & inſtituendo, docendoque prudentiſsimum. Hic Ciceronem (ut ipſe teſtatur) nimis redundantem, ſuperfluentemque iuuenili quadam dicendi impunitate, & licentia repreſsit; & qua ſi extra ripas diffluentem coercuit; & audito ſæpius Cicerone, dum græce ex tempore diceret, exclamauit, miſeram Græciam, cuius vna, quæ reſtabat, eloquentiæ, & doctrinæ græcæ prærogatiua ad Romanos, duce Cicerone, defeciſſet; Idem Cicero in Senatu Syracuſano græcam habuit concionem, idem plura græce ſcripſit, & pręter alia, Dialogos de arte Oratoria, cuiuſmodi ſunt Partitiones latinæ, quod ex ipſo Procemio conijciunt Interpretes, librumque de ſuo conſulatu, & ita ſcripſit, ut Poſidonium doctiſsimum virum, & omnem græcam Nationem cōturbarit, & à ſcribendo deterruerit, multa à græcis quoque tranſtulit ex Platone Protagoram, & Timæum, qui habetur in manibus, ſed

mutilus; ab Arato adoleſcens Phęnomena, & à Xenophonte œconomicos libros, mox etiam græcas Demoſthenis, & Aeſchinis Orationes inter ſe contrarias, quæ omnia, præter exigua quædam fragmenta, deſideramus. Pomponius Atticus Ciceroni coniunctiſsimus, Attici nomen, pręſtantia dicendi, adeptus, græce de ſuis temporibus ſcripſit, ad quem Cicero ſcribẽs epiſtolas illas eruditiſsimas, tertio quoq; uerbo gręci aliquid admiſcet, quod à cæteris etiam factitatum in familiaribus Epiſtolis videmus; & noſtris etiam tẽporibus doctiſsimi multi uiri nõ in latinis ſolum, quod eſt frequentiſsimum, ſed etiam in hetruſcis literis præſtiterunt, græca verba adhibentes, veluti quædam eruditionis emblemata ad orationem excolendam. Bruti adhuc extant elegantiſsimę græce ſcriptæ Epiſtolæ, quas docti vehementer laudant tanquàm præclarum Imperatoriæ in ſcribendo breuitatis exemplar, cuius illum magiſtrum Cicero uocat. Idem Cicero ad Atticum ſcribens lib. 4. meminit Clodij Prætoris his verbis. „ Sed vereor ne lepore ſuo detineat diutius Prætor Clo-„ dius, & homo pereruditus, vt dicunt, & nunc quidem deditus græcis literis. M. Varronem tanquam inexhauſtum, latinę eruditionis penu à literatis adamatum, & cultum græce fuiſſe eruditiſſimum ex multis ueterum monumentis conſtat, tum præcipue ex Cicerone, qui in Academicis quæſtionibus ex eo quęrit, cur philoſophiam quoque, quam gręce didiciſſet, latine, ut cæteras res non explicaret. Plinius quàm græce fuerit eruditus, cum ex illius libris græcę eruditionis refertiſsimis, tum ex autorum græcorum, à quibus ſe accepiſſe in primo libro fatetur, enumeratione facillime cognoſcitur, de Secundo vero eius Nepote idem affirmari poteſt, præter enim eam, quę colligitur ex eius ſcriptis coniectura, ipſemet lib. 7. epiſt. ad Pontinum de ſe teſtatur. Nũ-„ quã à poetica (altius enim repetam) alienus fui, qui etiam natus „ annos 14. græcam tragœdiam ſcripſi. Idemque 2. epiſt. laudat Iſęum, quòd ſermone græco, imo attico uteretur. Titus Liuius Hiſtoriæ Romanæ pater quantum græcis tribuerit, illorum diligens imitatio declarat, multa enim à gręcis hiſtoricis accepit, potiſsimumque à Polybio, ex cuius tertio libro primus belli punici apud hũc eſt acceptus, & pœne ad uerbum interpretatus, nec non alijs in rebus illum imitando aſſecutus eſt. Multi quoq; præterea extitere, qui cum Romę uiuerent, & plerique etiam nunq̃ Italia exceſsiſſent, tamen gręce ſcripſerunt elegantiſsime, quo-

rum multa extant inter Principes græcæ linguæ autores monumenta, vt Aeliani, Plutarchi, Dionyſij, Strabonis, Appiani, Diodori, & aliorum, qui Romæ dicũtur vixiſſe, ſcripſiſſe, & edidiſſe, quos ego miror à Ludouico Nogarola ꝓtermiſſos in ſua ad Fumanum epiſtola de viris illuſtribus Genere Italis, qui græce ſcripſerunt, ad quam ego eos reijcio, qui illos deſiderent, quos ipſe non attigi. Philoſophi non ſcribendo ſolum græce, ſed in ſcholis quoq; familiariter græcè philoſophabantur, vt de Muſonio, & Phauorino conſtat. Iuriſprudentes paſſim & græce, & latine de iure reſpondebant, ut de Metiano Voluſio, vt de Papiniano, Vulpiano, & alijs accepimus, Pueros venales, & ipſa mancipia, ut carius venderentur græcis curabãt Romani literis imbuendos, vt ex Horatio in epiſtolis apparet.

Verna miniſterijs ad nutus aptus heriles,
Literulis grecis imbutus, idoneus arti

Cuilibet.-- & ex Cicerone, ſecundo de Orat. ubi ait Syrorũ venalium, vt quiſque optime grece ſciret, ita eſſe nequiſsimum. Scorta medius fidius ipſa, & mulierculas quaſdam delicatiores græcam interdum linguam calluiſſe cõpertum eſt, ut Lælia apud Martialem, lib. 10. de qua ait.

ζωή, καὶ ψυχή *laſciuum congeris vſque*
Pro pudor, Herſiliæ ciuis, & Egeriæ.

Quam rem pluribus verſibus exagitat more ſuo Iuuen. ꝙ ſcilicet nimis græco ſermone quædam mulieres abuterentur, cum (ut arbitror) niſi in ſerijs, grauiſſimiſque rebus vellet vſurpari.

Nam quid rancidius, quòd ſe non putat vlla
Formoſam, niſi quæ de Tuſca græcula facta eſt?
De Sulmonenſi mera Cecropis, omnia græce,
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire latine.
Hoc ſermone pauent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta, quid vltra?
Concumbunt græce, & c.

Quid plura? neminem profectò puto Romæ fuiſſe ciuem paulo elegantiorem, niſi quis ex ipſa fece, & ſentina plebis eſſet, qui græcas literas ignoraret. quod etiam confirmare uidetur Probus in proęmio ſuo de uita excell. Imperatorum, dicens expertes literarum græcarum nihil rectum, niſi quod ipſorum moribus conueniat, putabunt. Nam ſi quales (ut aiebat Plato, & Cicero, mox confirmauit) in Rep. ſunt Principes, tales & reliqui ſolent eſſe Ciues, Imitari enim

ſtudent

ſtudent omnia illorum facta, & ſtudia, vnde etiam Iſocrates dixit πόλις ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσι, merito oẽs hm̃oi fuiſſe aſſirmari poteſt, cum ex Hiſtorijs comprobetur omnes Imperatores grȩcȩ fuiſſe linguæ peritiſsimos, illoſque græce ſcripſiſſe, & ad illos, & de illis, & in illos, græce ſæpius, q̃ latine ſcriptum. Vtque, & primos illos Reges, ex quibus ferunt Numam fuiſſe Pythagorȩum, & græce non neſciuiſſe, & ſuperiores alios etiam omittã, qui vigẽte adhuc Rep. floruere, cum nondum ab vnius nutu, & voluntate omnia penderẽt, vt fieri cœptum ſub Imperatoribus, quorum multos attigi in recenſendis Oratoribus, cum hac fuiſſent etiam laude cumulati, Ad Cæſarẽ reuertor, qui primus ſtatum Reip. labefactauit, & omnia in ſuam redegit poteſtatẽ. Is, quam fuerit eruditus græcis literis, illud facile oſtendit, quod Bibliothecas grȩcas, & latinas, quammaximas potuit, data M. Varroni cura, ſtuduit comparare, & ipſemet, in 5. lib. de bello gallico dicit Epiſtolam ſe ad Ciceronem miſiſſe grȩcis conſcriptam literis, ne intercepta Epiſtola, ſua ab Hoſtibus conſilia cognoſcerentur, idemque Apollonio Molonis Rhodi operam dedit, teſte Plutarcho, atque Suetonio, eumque etiam Cicero dicit perfectã illam bene dicendi laudem multis literis, & ijs quidem reconditis, & exquiſitis. i. (vt ego interpretor) græcis, ſummoq; ſtudio, & diligentia conſecutum. Auguſtus magno græcarum diſciplinarum ſtudio flagrauit, magiſtro dicendi vſus Apollodoro Pergameno, quem iam grandem natu Apolloniam quoque ſecum, ab Vrbe Iuuenis eduxerat; Et in euoluendis, ac notandis utriuſque linguæ autoribus multus erat, & frequens, in grȩca vero lingua, inuita etiam Minerua, ita promptus, ut (quemadmodum recitat Macrobius in ſecundo Saturn.) Cum animaduertiſſet græculum quendam de more ad ſe accedere, vt Epigramma porrigeret, græcum ipſe ſtatim ex tempore exararit in charta Epigramma, & pergenti ad ſe obuiam miſerit. Tib. Cæſar tantum ob linguæ præſtantiam grȩcos homines eſt amplexatus, vt mutua cũ illis priuatus officia p̃ſtaret, prope ex æquo Gymnaſijs obambulans, iſque non latine ſolum, ſed etiam grȩce Poemata p̃axit imitatus Euphorionem, & Arrianum, & Parthenium, ſermoneque grȩco promptus erat, & ſępe milites græce interrogabat. C. Cęſar Caligula ingenium in vtroque eloquentiæ, doctrinæque genere præcellens habuit, & inter cętera ſtudiorum monimenta reliquit & comędias grȩcas. D. Claudius Cęſar maiore omnium

cura

cura gręcā ſtudia ſecutus eſt,amorem, præſtātiamque linguæ oc caſione omni profeſſus. Hic utrāq; linguam,noſtram ſolebat ap pellare,& in commendanda PP.Conſcriptis Achaia gratam ſi-bi Prouinciam dixit eſſe communium ſtudiorum commercio, deniq;gręcas ſcripſit Hiſtorias Θυῤῥηνικῶν xx. καρχηδονικῶν li.8. Nero ſolos ſcire audire græcos,ſolosq; ſe,& ſtudijs ſuis dignos aiebat.Idemque apud Patrem conſulem pro Bononienſibus la-tine,pro Rhodijs,& Iliēſibus græce verba fecit, & primo etiam anno Imperij declamauit,ut Suetonius teſtatur. D.Veſpaſianus Auguſtus primus è fiſco latinis, græcisq; Rhetorib. annua cēte na cōſtituit,græcis literis adeo delectatus, vt gręcis verſib.inter loquendū vteretur,& ſatis etiam tempeſtiue iocaretur.D. Titus latinæ,græcęque linguæ,vel in orando,vel in pangendis Poema-tibus promptus,& facilis fuit ad extemporalitatem vſq; (ut pau lo duriore Suetonij verbo vtar) Flauius Domitianus inſtituit, ut gręce, & latine proſa oratione certaretur. Aelius Adrianus gręcis literis impenſius eruditus,à pleriſque (vt tradunt Hiſtori ci) gręculus appellatus, Athenienſium ſtudia, moreſque, auxit poetico non ſermone tantum,ſed etiam cæteris diſciplinis, qui moriens quoque gręcos,ſimul,& latinos faciebat verſus, ex qui bus latinos recitat ſpartianus. Marcus Antonius cognomento Philos,in cuius nomine multum uariant Hiſtorici cū latinis ſem per græca coniunxit,vſus ex grammaticis gręco Alexandro,ex oratoribus græco Annio Macro,audiuit etiam ſex.Cherronen-ſem Plutarchi nepotem,cuius græcas Epiſtolas vehementer Phi loſtratus probat:Aelius pertinax fortunæ ludus, qui ex obſcuriſ ſimo loco ad imperium ſibi viam uirtute muniuit, non ſolū fuit gręcis literis imbutus,ſed aliquando etiam docuit poſt ſulpitium ſcilicet Apollinarem,cuius fuerat auditor.Iulianus liberalibus di ſciplinis apprime eruditus,gręcis tamen doctior fuit,atq; adeo, ut latina eruditio nequaquam cum græca ſcientia conueniret,& ideo ſapientiſsimos quosque è Græcia eſt amplexatus. Seuerus Imperator latinis, græcisque literis eruditiſsimus fuit,& Athe-nas petijt ſtudiorum cauſa; Grammaticum in Patria græcum ha buit Nebonem (vt refert Lampridius,)idemque poſt actus pub. ſiue bellicos, ſeu Ciuiles Lectioni grætæ operam maiorem da-bat,quam latinæ;de R.P.libros Platonis legēs, & cum priuatim conuiuaretur, legebat in menſa ſemper græca libentius, & fre-quenter ad Atheneum audiendorum gręcorum Rhetorum,uel

Poeta-

Poetarum cauſa proceſsit. Maximinus Iunior græcis, & latinis literis fuit ad humanitatem informatus, à teneris magiſtro vſus græco Literatore Fabilio, cuius Epigrammata græca dicuntur extare. Gordianus græce ſciuit, ad quem græce ſcribere ſolebat Miſitheus ſocer vir doctiſsimus. Quid reliquos perſequar? cum omnes Cōſtantinopolim mox delato Imperio græci fuerint Imperatores? Quid Germanos attingam? vt Carolos, Fridericos, Othones? quid Galliæ Reges illos celeberrimos literatorū Mæcenates Franciſcos, & alios? quid principes Italiæ commemorabo? qui omnes, ſi qui ſtudia coluere literarum, græcas etiam potiſsimum fouerunt, & ut reliquos omnes omittam Mediceæ familiæ duo lumina præterire tacitus nullo modo poſſum Coſmum, & Laurentium, quorum alter Patriæ ſuæ pater appellatus, Primus inquam Coſmus Philoſophum græcum nomine Gemiſtum, cognomēto Plethonē, quaſi Platonē aliū de Platonicis myſterijs diſputantem frequenter audiuit, & ſummo græcarum literarum ſtudio exarſit, Argyropolum accerſiuit, & Marſilium illum Ficinum (ut ipſe teſtatur in ſua præfatione in Plotinum) ad hoc educauit, ut græcos uerteret autores, Alter ſcilicet Laurentius adeo græcas literas, & literatos fouit, auxit, ornauit, locupletauit, ſuſcepta etiam in græciam nauigatione, ut nullæ propemodum de illo doctorum ſui temporis hominum paginæ conticeſcant, & de eo merito cecinerit Bonamicus.

Hic primus Graias longo poſt tempore viſas
Aonio Muſas deduxit vertice ad Arni

Flumina.— à quorū præclariſsimis ueſtigijs, & inſtituto non recedens Magnus ille Coſmus, qui primus in hanc familiam tam illuſtre Magni Ducis nomen inuexit, & græcas literas puer didicit, & tanquam hæreditarium harum literarum patrocinium à maioribus acceptum etiam poſteris reliquit. Quid? profecto niſi alio me breuitas temporis reuocaret poſſem probare, omnes alias nationes, & gentes græcam linguam cupidiſsime amplexatas, & ſuæ quaſi parentē, & altricem agnouiſſe. Cæſar 6. Comm. teſtatur Gallos in omnibus rebus, & publicis, priuatisq; rationibus, græcis literis uſos, & ſtrabo ita fuiſſe aſſerit φιλέλληνας, ideſt Græcorū amatores, ὥστε τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν. ideſt ut contractus (quemadmodum uertit Budæus) & conuenta græco ſermone conciperent, idemque tradidit Maſsiliæ, quæ eſt in Gallia celeberrimum literarum, & artium fuiſſe gymnaſium. Quod

adhuc

adhuc quoq; retinent græcæ linguę ſtudium, & doctiſsimi quidam ab illa oriundi uiri à græca Gallicam linguam emanaſſe contendunt, nec defuere ex Gallis hominibus hac noſtra tempeſtate, qui uoluminibus, & libris editis de gallicę linguę affinitate cũ Græca, id demonſtrare conati ſint. Lugduniq; olim aiunt certamen inſtitutum græcę, latineq; facundię, ad Aram D. Auguſto conſecratam, de qua cecinit Satyricus Iuu. (ut etiam Bud. annotauit) aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad Aram. Germani quoque omnes non antiquitus ſolum, ſed noſtris etiam temporibus, gręcę linguæ ſtudio flagrant, multique ex ipſis autumant, ſuam è græca linguam fluxiſſe, cum plerique multas uocabulorum centurias annotarint è græco ſermone deriuatas. Quod etiam multi ex Etruſcis factitarunt, qui ſuum ſermonẽ eſſe græcę linguę filium affirmant, quam ſententiam tuetur P. Victorius lib. 14. var. Lect. Iudæi græca linguam cum ſua iungebant, teſtes multi, qui græce ſcripſerunt, cũ Hebræi forent. Schytas deniq; Indos, & Brachmanas græcis uſos literis cõſtat, idẽq; de Aegyptijs, Pergamenis, Alexandrinis, Africanis, Hiſpanis, Heduis. Quid plura? nulla gẽs, nulla natio, tam barbara, nullus terrarum angulus, aut Regio tam remota, ad quam græca lingua non peruenerit, quę ex huius diuitijs, & copia non aliquid in ſuum ſermonem deflexerit, non hanc omnino cum ſua coniungendam iudicarit, ut merito de gręca lingua id poſsimus uſurpare, quod de Socrate dixit Cicero, quem fuiſſe affirmat caput, & fontem, ex quo oẽs Philoſophorũ proſeminatæ familię ut riuuli emanarint, & omnes Socratici dici uelint, & eſſe ſe arbitrentur. Sic. n. omnes linguas ex græco fonte deductas poſſumus affirmare, & illam, uelut magnam omnium parentem Berecynthiam, omnes inter ſe linguas quaſi quadam cognatione, & communi uinculo retinere, atque complecti. Et ut (omiſsis cęteris rem noſtrã agamus.) Quę nam eſt in toto Terrarum Orbe Academia, quæ cum latinis grçca non iungat? in qua non græce ſimul, & latine publica auctoritate doceatur? Quorſum tot Pontificum, Imperatorum, Regum, R. Pub. Principumque decreta, & Priuilegia, in inſtituendis Academijs, & grçcis hominibus undique magnis conditionibus accerſendis? niſi quia grçcas literas neceſſario cũ latinis coniungendas arbitrati ſunt? niſi quia latinam linguã ſine græca mancam, & orbam fore exiſtimarunt? niſi quia Academias denique ipſas, nihil futuras, uel altero ſaltem, & meliori

oculo deſtitutum iri, ſi græcis literis careant, iudicarunt? Quid ſi ad noſtri temporis, uel noſtrę, aut Patrum noſtrorum maiorum ve etiam memorię homines acceſſero; quot ſeſe mihi præſtantiſsimi viri huius meę ſententię ſubſcriptores, autores, & principes obuibs dabunt? obruar ſane exemplorum, & teſtium copia. Quem enim poſſumus ex doctis nominare, qui græce neſcierit? Num Bembos, Sadoletos, Picos, Politianos, Hermolaos, Fracaſtorios, Flamminios, Põtanos, Victorios, Longolios, Manuccios, Bonamicos, Fauſtos, Corrados, Amaſæos, Budæos, Perionios, Turnebos, Robortellios, Sigonios, Muretos, aliosq; innumerabiles (ne uiuorũ quęquam qui infiniti ſunt attingã) in quorũ oĩum ſcriptis græcę eruditionis, non leuiter impreſſa ueſtigia, & documenta cernimus, & multi ex ipſis etiam gręce ſcripta reliquerũt; ut Hermolaus, Politianus, Longolius, Budæus, Robortellus, & alij: Quid plura? iam omnium ſuffragijs, atque conſenſu perſcripta hæc eſt lex, ut, QVI GRAECAS LITERAS IGNORET INTER DOCTOS, ET LITERATOS HOMINES NON CENSEATVR. quam tamen ego (quoniam uideo multos ueſtrum nõ iniuria commoueri.) ſic corrigendam, & his quaſi cancellis circumſcribendam puto, ut de eo, tantum genere hominũ intelligamus, qui has reconditiores literas, quas vocãt humanitatis, profitentur, Hermolaus Barbarus pręſtanti, & recondita eruditione, ſingulariq; Iudicio pręditus in quadam epiſtola ad Picum gratulatur, quod gręcas literas eſſet cupidiſsime amplexatus, quę ſolę in illo deſiderari poterant, ſine quibus (audite infinitam græcæ linguę præſtantiam) illam ipſam phenicem nihil fuiſſe futuram aſſerebat, Deinde, illum in ſenten-
„ tia confirmans, hęc quoque addit, vnum te ſcio ſcire, nullius,
„ latina lingua, tot ſęculis, extare monumenta, qui græcis literis
„ caruerit. Robortellus in quibuſdam ſuis annotationibus ratio-
„ nem reddens, cur gręca uerba non uertat. Sat eſſe (inquit) exi-
„ ſtimabo, ſi à gręce eruditis intelligantur: nam cęteros ego uix
„ auſim appellare doctos, qui tantum latine ſciunt. Aldus P. M.
„ Pauli pater, Si quiſquam eſt, qui neget non neceſſarias eſſe gręcas litteras hominibus noſtris, quam recte ſentiat, breui puto co-
„ gnoſcet, cum uel pueris de gręcis literis docte diſputantibus, ip-
„ ſe interim aſtabit ὡς ὄνος πρὸς λύραν (ut aiunt). Victor Fauſtus, in
„ quadã Epiſtola ad Rhãnuſiũ, gręce neſciunt, hoç eſt, ut puto re-

ĉte

„ & eruditi non ſunt. Et in tertia ſua oratione, Fateri neceſſe eſt
„ Literati hominis appellatione abuti, quicũq; nihil omnino græ-
„ ce didicerit. Murettus in quadam epiſtola, neſcio quos progreſ-
„ ſus in græcis literis feceris, quarũ ſine mediocri ſaltem cognitio
„ ne, caue putes ad vllam doctrinæ præſtãtiã peruenire. Corradus
„ græcas defendens à calumniatoribus literas, dicant vel vnũ, qui
„ ſine græcis literis ad genus aliquod acceſſerit doctrinæ, & litera-
„ torum in numero habeatur, per me quidẽ vicerint, cedam, neq;
his amplius repugnabo; & in alia Epiſtola, vbi inuehitur in Grã-
maticum, qui docere latinas literas vellet, nec græcã noſſet vllã.
„ Mihi quidem certe nondum contigerat videre ex veteribus ali-
„ quem, vel nouis, qui non latina cum græcis coniungeret, vel ru-
„ dis græcarum literarum, latinas tradere auderet. Sed ne tot te-
ſtimonijs afferendis nimis longum faciens, rem clariſsimam
penè videar in dubium reuocare, me colligam, & ad reliqua
duo propoſitæ diſputationis capita ſe noſtra referet oratio,
quæ eo breuius à me percurrentur, quo longior in hoc pri-
mo fluxit à propoſita breuitate ſermo; Vtque græcam lin-
guam omnibus diſciplinis, quod erat ex tribus alterum, eſ-
ſe neceſſariam quam breuiſsime oſtendam; omnem humani-
tatem, ad quam veluti fontem, & ſummum genus omnium
doctrinarum, & Artium concentus, ſiue orbis ille, anfra-
ctusq; deducitur, (latius enim cum Varrone, & alijs hoc no-
men humanitatis vſurpo vt græci παιδείαν) in duas partes, opti-
mos ſecutus auctores, diuidam, quæ erunt ratio, & oratio. Oratio
tria complectitur, Grammaticam, Oratoriam, & Poeticam, ſub
rationem verò cætera cadunt omnia, quę vel ad menſuras, &
numeros intelligendos pertinent, vel ad naturę arcana inueſtigã
da, vel corpus noſtrum, & valetudinem tuendam, vel Populos le
gum, & inſtitutorum veluti freno cohibendos, vel poſtremo D.
Opt. Max. & illius Arcana myſteria cognoſcenda, quibus rebus
omnis (vt arbitror) cognitio continetur. In Grammatica (vt ab
ea ſumatur initium) quo me vertam profecto neſcio, nullam.n.
partẽ video eſſe in latina, q̃ non ſuæ parentis græcæ tanq̃ germa
na ſoboles ſpẽm, & imaginẽ referat, q̃ non ſuas opes gratuito ab
illa, & quaſi hæreditatis iure ſe accepiſſe fateatur. Literæ profe-
cto, & elementa ipſa omnia græca ſunt, & ſi Plinio credimus ve
teres græcæ, vnde latinæ venerunt, eędem fuere cum latinis, qđ
indicaſſe delphicam tabulam in Palatio collocatam antiquitatis

affirmat lib. 7. verba, & dictiones pęne omnes à græcis mutuati
ſunt Latini, alia.n. ſunt mera gręca, vt pſephiſmata apud Cicero
nem, & alia ſexcenta, quorũ magnam partem enumerat Budæus
in commentarijs linguæ græcę ſub finem, alia parce detorta infle
xu latino, vt planus apud Ciceronem, lychnus apud Vergilium.
alia literarum inuerſione, ſeu tranſpoſitione Latio donata ſunt,
alia imitatione cõpoſitionis, alia detrahendis literis, alia permu-
tandis, alia addẽdis, aliaq; demum alio pacto ſunt facta latina, de
quibus Grammatici conſulendi ſunt. Hoc tantum dicam, nullũ
verbum in latina lingua reperiri, quod non aliquo pacto è græ-
co fluxiſſe ſermone uideatur, cuius notatio, vel ἔτυμον non in-
de emanarit, vt docte Nonnius Marcellus oſtẽdit, qui omnia vo
cabula à græcis agnoſcit; quod Cloatium quoq; Verriũ, de quo
Gellius, quod Varronẽ, qui Lælium (vt eſt apud Gellium lib. 1.
cap. 16.) merito reprehẽdit, quod græcorum verborum aliquo
rũ perinde ac eſſent propria noſtra, reddidit cãs falſas, qđ alios
deniq; complures feciſſe conſtat, quos breuitatis ſtudio pręte-
reo, & Plutarchus in Numa teſtatur priſcis illis temporibus lõ-
ge maiorem gręcorum verborum copiam latino fuiſſe ſermoni
commixtam, & penè gręcis uocabulis, tanq̃ latinis vſos id tẽpo-
ris fuiſſe Romanos. Ratio porro Syntaxeos, & ſtructuræ, tota
græca eſt, ſic etiam figurę, & tropi a græcis fluxere. Loquẽdi For
mulas omnes pęne à græcis accepimus; teſtantur Interpretes cũ
Poetarum tum Oratorum; teſtantur Grammatici; teſtantur hi,
qui commentaria in græcam linguam conſcripſerunt, vt doctiſ-
ſime Budæus, qui non ſolum re præſtitit, ſed etiam teſtimonio
confirmauit ſub finem his verbis. Nos autem in hiſce commen-
„ tarijs libenter id fecimus, vt copiam linguæ latinæ, quanta eſt illa
„ cunque ex gręcorum diuitijs cantatiſsimis partem optimam ma
„ naſſe oſtenderemus; teſtantur etiam, qui theſauros in utranque
linguam confecerunt; Hi denique teſtantur, qui Variarum Le-
ctionum libros contexerunt, vt Victorius, & alij complures, qui
nihil aliud uidentur agere, niſi vt è græcis omnem latine dicendi
rationem, & ſegetem profectam eſſe demonſtrent. Orthogra-
phia vero, & recta pronuntiandi Latina verba ratio tota a græ-
cis pendet, & græcis literis ignoratis, neſcio quo pacto non qui-
uis labi, hallucinari, errare, hæſitare ſaltem cum dicendo, tũ ſcri
bendo debeat. Metra poſtremo, & omnem illam, cõficiendi ver
ſus rationem græci nos docuere, nihilque habet latina poeſis,

quod

quod non a græcis fuerit & inuentum,& perfectum,Tantum de
niq; abeſt, ut quicquã iuris poſſideat latina grãmatica, ut ne no
mẽ quidem ipſum ſui iuris habeat,ſed a grecis mutuatum. Qua-
re optime,Quintilianus,lib. 12.ſimilem, & prorſus diſcipulam
„ græcæ latinam facundiam uocat.ſic.n ait.latina mihi facundia,vt
„ inuentione,diſpoſitione,conſilio,cęteriſq; huius generis artib.
„ ſimilis gręcę,ac prorſus diſcipula eius vr̃,ita circa rõnem eloquẽ
„ di uix habere imitationis locũ,& lib. 1.c.5. ſed hęc mea diuiſio
„ ad græcum ſermonem pręcipuè pertinet,nam & maxima ex par
„ te Romanus inde conuerſus,& conſeſſis vtimur gręcis, (qđ ẽt
faciendum de gręcis vſurpandis,monent Cicero, & Pli. ubi no-
ſtra deſiderantur,) quare ubiq; docet pueros eſſe gręcis literis
„ primum,ad humanitatem informandos,lib. 1.cap. 1. à ſermone
„ græco puerum incipere malo,& eodem lib.c.4.græcum ſermo-
„ nem eſse priorem placet,& alibi ſæpius.Budæus quoq; uir Do-
ctiſſimus in lib.de aſse hanc græcæ linguæ præſtantiam, & latinę
cum illa coniunctionem aptiſſima comparatione declarat,qui di
cit græcam linguam Poetæ Tragici,aut Comici rationem habe-
re : latinam uero Actoris,& Mimi, qui in Theatro Poetæ cogi-
tata pronuntiet, & eadem rõne Romulus Amaſæus præclariſſi-
mũ meæ patriæ,atq́, etiam noſtrorum temporum eloquentię la-
tinę lumen,quaſi vicariam appellat græcæ linguæ latinã,& ubiq;
græcã cũ latina coniungendã,uel ſaltẽ ei ſubiungẽdã prædicat in
ſuis orationibus;nec de fuere ẽt, q putarint,& dixerint latinã nõ
aliã eſse,quã in uerſam,& corruptam græcam,ut in ſua pro lin-
gua latina oratione doctiſs. Vir,& oĩ eruditionis,& poetica præ-
ſertim Laude cumulatus Parthenius affirmat,cui ego (ut aliqđ
extet meæ in illum pietatis teſtimoniũ) quicquid & in græcis,&
in latinis ſcio, quod nihil,aut certe eſse parũ ſcio, acceptum li-
bẽtiſs me referre, & ſoleo,& debeo. Quare ueteres Grammati
ci græce tantum interpretabantur,ut de T.Liuio, & Ennio ſu-
pra retulimus,primumq; græcas literas,mox latinas,uel utraſque
coniunctim,ut poſtremis temporibus docuere, ut M. Antonius
Gnipho celeberrimus grãmaticus, cuius ſcholã frequẽtabãt Cla
ri uiri,& inter alios,M.Cicero,ẽt cum Prætura fungeretur,quia
ueteres grammatici Rhetoricã quoq; docebant(ut tradit Sueto-
nius,)ut Atteius Philologus eius auditor, & imitator,ut C. Iu-
lius Higinius,Sex.Clodius, ex Sicilia, & alij ferè omnes cum grã
matici,tum Rhetores.(primus.n.fuit Q.Cæcilius Tuſculi natus,
qui.

qui latine ex tempore diſputaret,& Vergilium,& alios poetas latinos,& nouos prælegeret) De oratoria porro facultate idē cõprobare uelle ſupuacaneũ,& putidũ uideri fortaſse poſſit,cũ ſit planiſſimum ſuperiori oratione factũ,oẽs oratores ex erudita illa græcorũ copia, ſeu ſpatijs,& diſciplinis non ex Libraliolis latinorum extitiſse. Nã ante L.Plotium Gallum nullus ad eloquentiã niſi græce exercebatur, Is.n.primus(ut Suetonius, & Cicero in epiſtola ad A.Ticinium teſtantur)latine cępit docere, ad quẽ tñ Cicero non ventitaſſe ſe dicit,quamuis doleret id ſibi non licere,quod contineretur doctiſs. Hominum authoritate,qui exiſtimabant græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. & in primo de Orat.ſub L.Craſſi perſona,qui ſuam tuebatur ſnĩam, vt Antonius Q. fratris ex oĩbus exercitationibus, hanc maxime

„ probat,nimirum græca vertendi. Poſtea mihi placuit,eoq; ſum

„ vſus adoleſcens,vt ſummorum oratorum græcas orationes ex-

„ plicarem, quib. lectis,hoc aſſequebar,vt cum ea,quę legerẽ grę-

„ ce,latine redderem,non ſolum optimis verbis vterer, & tñ vſitatis,

„ ſed ẽt exprimerem quædã verba imitando, quæ noua noſtris

„ eſſent,dummodo eſſent idonea.& Plinius ſecundus,li.7.ad Fuſcum

ſcribẽs,qui ſe in oratoria palęſtra exercebat, inter primas, & præcipuas exercitationes hanc proponit,dicẽs. Quæris, quẽ-

„ admodum in ſeceſſu,quo iam diu frueris,putem te ſtudere opor-

„ tere. Vtile mihi primum ex multis præcipue erit,vel ex græco in

„ latinum,vel ex latino vertere in græcum, Quo genere exercita-

„ tionis proprietas,ſplendorq; verborum,copia figurarum, uis ex-

„ plicandi,præterea imitatione optimorum ſimilia inueniendi fa-

„ cultas paratur,ſimul quæ legentem fefelliſſent,transferentem fu-

„ gere non poſſunt,intelligentia ex hoc, & iudicium acquiritur.

Quintilianus,li.10.affirmat Ciceronẽ magna ex parte,quãtus eſt, à Demoſthene factũ,cuius uim effinxerat,cũ Copia Platonis,& ſuauitate Iſocratis,q reliquas fortaſſe partes in illo per fecerunt. Ipſe Cicero in Bruto cũ fuiſſet ſibi propoſitum latinos oratores recenſere,& de illis quid ſentiret exponere, de græcis prius verba facit,quaſi neceſſariũ foret de latinis dicturo prius de græcis agere,è quorũ doctrinis,& Fõtibus ſuũ iſti agrum irrigaſsẽt, & quicquid ſcirent,illis referrent non grauate acceptũ, quod ẽt doctus quidã illius libri, quaſi tñ aliud agens animaduertit Interpres.apud eundem in 2.de Or. Antonius diſſimulandã quidem, vt artificiũ oratori gręcarũ rerũ cognitionem cenſet, ſed tñ ual-

de

» de neceſſariā iudicat,cū dicat. Atq; ego idem exiſtimaui pecudis
» eſſe non hominis, cum tantas res grçci ſuſciperent, profiterē-
» tur,agerēt,ſeſeq; & uidendi res obſcuriſſimas,& bene uiuendi,
» & copioſe dicendi rōnem hominibus daturos pollicerentur, nō
» admouere aurē. Idē Cicero facile videtur eo loco demōſtraſſe, quā græcæ literæ bono futuro oratori eſſent neceſſariæ, quo laudans Titium dicit, illum ſuo iudicio, eo perueniſſe, quo potuit fere latinus orator ſine græcis literis,& ſine multo vſu peruenire,quaſi dixiſſet,perfectus fuiſſet,ſi grçcis non caruiſſet,& ubi dicit Cottam, quia ſe valde dilatandis literis à ſimilitudine græcæ locutionis abſtraxerat ſonaſſe, ſubagreſte quoddā,planeq; ſubruſticum,& Quintilianus,lib.10. Ciceronē ſecutus primum grçcos authores nominat,mox latinos,ex quorū lectione quaſi ſolū,& fundamentum eloquentiæ verborū.ſ.delectus, & copia cōparetur. Noſtriſq; tpibus,vel paulo ante extitere præclariſſimi qdā viri,qui doctiſſimis orationibus demonſtrare conati ſunt, fruſtra eū ad eloquentiam aditum quærere, qui græcos oratores ipſa eorū lingua diligentiſſime non peruolutet, neq; ſatis eſſe Ciceronē hēre propoſitum, aut Nizolij Copijs, alijſq; vocabulorū confidere Theſauris. Prætereo,quæ dici multa poſſent de arte Rhetorica,quam græci,& melius, tenuere,& melius docent, mitto quòd latini ipſi,ſi qui hæc attigerunt, (quos non inficior multos eſſe,qui doctiſſime de hac arte diſſerant) voces tn̄ grçcas vſurpant,& nomina figurarū,atq; conformationum, ſiue luminū grçca ponunt,cum latinum non habeāt,vel ſit ita ſordidum, vel obſcurū,vt negligatur,aut ignoreſ. & qui pōt aliquis formā aliquā dicēdi,ſeu figurā nō dicā aſſequi,& exprimere,ſed ne quidem percipere ſi quid ſibi velit nomen ipſum, neſciat?

Poetica uero facultas finitima Oratori,ſed numeris aſtrictior vbertate oratiōis,& dicēdi licētia liberior,vix vr̄ ad ſuas fores,ne dū ad penetralia admittere eū,qui græcam linguam non teneat. Quis.n.per DEVM immortalem niſi Homerū, & alios græcos Poetas ipſa eorum lingua lectitarit, dici latinus ſaltem Poeta poteſt? Nam ſi demus cætera omnia poſse in latinum è græco conuerti,quod non conceditur,nunquam profecto quiſquam probabit Veneres,& pigmenta illa Poetica poſse alia,quam ſcripta ſunt lingua,non dicam exprimi, ſed ne leuiter quidem adumbrari, ſatiſq; ex prima noſtri ſermonis parte conijcitur omnes Poetas græce primum ſcriptitare ſolitos, mox latine, & ſe prius in

uer-

uertendis græcis exercuiſse, mox ad latine ſcribendum aggreſ-ſos. Horatius profectò in Poetica nos admonet exemplaria græca nocturna uerſare manu, uerſare diurna, ubi notandum uerbū exemplaria ſummo adhibitum, & artificio, & iudicio, quaſi dicere uoluerit, græcorum Poemata in eam formam, quæ inſita eſt in mentibus noſtris, quæ tantum cogitatione comprehēditur, quā cum Jdeam, tum exemplar appellāt, ſic poſse includi, ut nihil pfectius requiratur, & ideo ad eorum imitationem, tanquam ad perfectam ſpeciem noſtra eſse ſcripta conformanda, quod mox planius explicauit dicens.

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo

Muſa loqui. Idem in epiſtola ad Auguſtum ſecundo libro dicit, munditijs græcorum adhibitis latinæ ruſticitatis uirus eſse deterſum.

Græcia capta ferum victorem uicit, & artes
Intulit agreſti latio, ſic horridus ille
Defluxit numerus ſaturnius, & graue virus
Munditiæ pepulere, ſed in longum tamen æuum
Manſerunt, hodieque manent veſtigia ruris,
Serus enim græcis admouit acumina chartis,
Et poſt punica bella quietus quærere cępit,
Quid Sophocles, & Theſpis, & Aeſchylus vtile ferrent.

Franciſcus quoque Petrarcha ſignificauit ſine græcorum Poetarum lectione nō poſse aliquem ſacris poeticæ initiari, qui in ea Egloga, quam occidētem Lauream inſcripſit, admonitum ſe dicit à Vergilio, ut in Græciam nauigaret. i. poetas græcos legeret, prius quam cæteros latinos. Harum duarum quaſi germana ſoror Hiſtoria penè mihi ad exitum properanti exciderat, quæ nō minus, quam alię græcam linguam requirit, non ſolum ad res geſtas græcorum, & Romanorum quoq; græce ſcriptas percipiendas, ſed etiam ad uetuſtatis cum græcæ, tum Romanæ, rationes, & ueſtigia perſequenda, & intelligenda, quod optime fit ex grę corum cum latinis ſcriptis contentione, ex qua ueritas tanquam è tenebris, & profundo, ubi demerſam ferunt, educitur, & in lucem prodit, id nuper mihi planiſſime contigit uidere, cum libellos conſcriberem de monetis græcis, & latinis, additis etiam in tertio Hebræis, quibus finitima eſt, & ita coniuncta, ut diſiungi non poſſit ponderum, menſurarumque ratio, quos inchoatos à me relictos, dum publ. domeſticiſque docendi occupationib.

acce-

accedente valetudinis imbecillitate,qua ſum vſus hoc anno,diſtrahor,fortaſſe breui,ſi ocium,quod ſpero, fortuna ſuppeditarit,abſoluam. In quibus cōtexendis eos,qui aliquid in eo genere præſtiterint,hac vſos potiſsimū ratione animaduerti,vt Budæū, Alciatum,Portium,Agricolam,& alios, quos niſi græca eruditio adiuuaſſet, & quaſi fax ꝑlucens ad obſcuriſsima veritatis arcana perduxiſſet,nihil dignum ferè lectione attuliſſent, quamuis ipſi quoq; non omnia inuenerunt, & multa ēt poſteris indaganda reliquerunt,quod an poſsim ipſe pſtare, neſcio,hoc tn̄ dicā, hac me via,& rōne vſum non pauca deprehendiſſe,in quibus & nonnulli ex his,& alij complures noſtrorum temporum viri doctiſsimi ſunt hallucinati,quorum nomina, & errores tacitus pteribo,ne aut eorū,qui optime de literis ſunt meriti dignitatē, atque memoriam offendam,aut me oſtentare, & quaſi gloriolam alieno loco voluiſſe videar aucupari.

Inter partes vero rōnis. Primæ nobis occurrunt Mathematicæ diſciplinæ, quibus ignoratis perdifficilis datur,teſtimonio ēt Platonis ad reliquas artes acceſsio. Hę per ſe quidem ipſę profecto loqui vñr,& græcarum literarum lumen poſtulare,ſi quis velit totas, non nęuo aliquo, atq; crepūdijs, ſed omni corpore cognoſcere, cum oēs græci ſint authores, qui de illis accurate, & docte aliquid tradiderunt,vt Euclides, Ptolomęus, Cleomedes, Theodoſius, Aratus, Ariſtoteles,& reliqui; quorum doctrina, ſi alicuius docti Viri Scholijs, & commentarijs fuit illuſtrata,is profecto aut græce ſcripſit, vt Proclus, Theon Alexandrinus, Pappus, Nicolaus Cabaſilla,qui duo ēt latine non adhuc dicunt eſſe cōuerſi, aut græce ſciuit,& gręcis vtitur in docēdo vocabulis,harū.n.artium omnia pene græca ſunt nomina, q̄ niſi doctis viris eſſe ſcirem perſpectiſsima, aut me longius facere temporis breuitas concederet,plurima afferre poſſem, quibus meridiana luce clarius id, quod dicimus eluceret,& allatis in mediū vocabulis tanquam teſtimonijs res probaretur. Philoſophia porro, ſiue Virginem illam caſtam,& integerrimam q̄ras, quam ſuorū in ſcriptorū penetralibus cuſtodit Plato,& velis plurimis obductam,atq; inuolutam amatoribus oſtendit,noſtra hac tēpeſtate non intellectam fortaſſe magis,quam non probatā,ſiue hāc,quā nudam in ſcholis,quaſi meretricē proſtituit Ariſtoteles, de quo apud veteres illos non caruit reprehenſione, vtraq; profecto,vt ſine gręcis autoribus,ita ēt ſine gręcis literis percipi non pōt,de

libari fortaſſe pōt, ſed ita, vt nunq̄ ſitis illa exquiſita, & vera notione expleta conquieſcat, cuius quidem ſententiæ (vt aliquem nominem autorem) Princeps eſt, & Propugnator Varro Romanorū eruditiſsimus, qui apud Ciceronē in primo Acad. qōnum, cū ex eo q̄reret Cicero, cur Philoſophiam latinis literis non illu
„ ſtraret, ſic reſpondit. Rē à me ſæpe deliberatam, & multū, & diu
„ agitatam requiris, itaq; non multum hęſitans reſpōdebo, ſed ea
„ dicam, q̄ mihi ſunt in promptu, q̄ iſta ipſa de re multū (vt dixi)
„ & diu cogitaui. Nam cum Philoſophiam viderem diligētiſsime
„ græcis literis explicatam, exiſtimaui, ſi qui de noſtris eius ſtudio
„ tenerentur, ſi eſſent gręcis doctrinis eruditi, gręca potius q̄ no-
„ ſtra lecturos, ſin à græcorū artibus, & diſciplinis abhorrerēt, ne
„ hæc quidem curaturos, quę (notate verba) ſine eruditione græ-
„ ca intelligi non poſſunt. Itaq; ea ſcribere nolui, quæ nec indocti
„ intelligere poſſent, nec docti legere curarent, & mox de eadē re
„ loquens ait. Sed meos Amicos in quibus eſt ſtudium, in Græciā
„ mitto .i. ad græcos ire iubeo, vt ea à fontibus potius hauriāt, quā
„ riuulos conſectentur. Nec ego iam ſanę mentis aliquem hoc eſt elegantiori doctrina ex cultum puto exiſtimare ex barbaris recētiorum quorundam libris omni verborum, vel potius portento
„ rū colluuie, & ſordibus inquinatiſsimis poſſe diſci Philoſophiā.
„ de quibus Politianus in p̄fatione ſua in Suetonium ſic ait. Libuit
„ mihi aliq̄n excutere ſcrupuloſius Commentaria in Ariſtotelem
„ nonnulla, quæ iſti inter prima adamant ipſis ēt Getis barbario-
„ ra. Deus bone, quæ monſtra in illis, quæ portenta deprehendi,
„ quam aut omnino nihil ſentiunt, aut cōtra eum ipſum, quem interpretantur, ridicule ſentiūt. Et quamquam horum patrociniū aduerſus Hermolaum Barbarum, qui hoc genus hominū fuerat inſectatus, ſuſcepit olim Picus, & multis millibus verſuū, & proſa ēt oratione defendit, tn̄ quo animo, & cōſilio id fecerit in quadā
„ Epiſtola demonſtrat, dicens. Quorū ſententiæ, nec ego pla-
„ ne accedo, nec ingenuo cuiquam, & liberali accedendum puto,
„ ſed exercui me libenter in hac materia tanq̄ infami, vt qui Quar-
„ tanā laudant, cum vt ingenium periclitarer, tum hoc conſilio, vt
„ veluti Glauco ille apud Platonem Iniuſtitiam laudat, non ex iudicio, ſed vt ad laudes Iuſtitiæ Socratem extimulet.

Medicos vero multi ſunt, qui putēt nefario, & inexpiabili ſcelere oēs obſtringi, quicunq; græcarum literarū rudes medicinā exercent. Cum.n. Principes inueniendæ, perficiendæ, & tradēdę

Medi-

Medicinæ autores grçci ſint,& græce ſcripſerint,omnia morbo
rum nomina,& ægritudinum,quibus,& noſtra corpora,& ani-
mi plerunq; vexantur,græca ſint,omnia medicamentorũ, & in- «
ſtrumentorum uocabula græca,oẽs humani corporis partes,at- «
que compages,quibus ignoratis ſæpiſsime in hominũ vita pec- «
catur,græce appellentur,omnes herbæ,Plantæ,lapides,& cæte-
ra,quę adhibent in medicando,& eorum ẽt admixtiones græce,
non latine ſonent,omnia deniq; ponderũ,& menſurarũ,quibus
vulgo ẽt vtuntur,græca ſint verba,quis audebit affirmare, poſſe
hæc plane intelligi ſine græcis literis? hinc ſępius uidemus eueni
re,ut ignoratis vel morbis,vel nominib.curationũ, ponderũ, &
herbarum nõ intellectis,pro auxilio virium imbecillitas, pro va
letudinis firmitate,morbi inſanabiles,pro ſalute, interitus ægro
tantium conſequatur, & vt Plinij verbis vtar, nulla ꝓterea lex,
quæ puniat inſcitiã capitalem,nullum exemplum vindictæ. Ro
mulus Amaſeus in ſchola 1.de rõne,& ord.ſtudiorum valde cõ-
firmat hanc ſententiam his verbis. Iam vero Philoſophorũ, &
Medicorum cętus quonã ſibi ore à grçcis literis immunitatẽ po
ſtulet? cũ ipſimet ſcientiam ſuam,aut certiorem, & conſtantio-
rem,aut certe puriorem, & magis perſpicuam ex ipſo, vnde in
minus latinas (vt leuiſsime dicam) literas defluxit, capite accerſi
poſſe fateantur, & certe apud Romanos antiquitus nemo medi
cinam attingebat,qui gręce neſciret. Plin.lib.29.in tanto fructu
pauciſsimi Quiritium medicinam attigere, & ipſi ſtatim ad grę-
cos transfugæ,imo vero autoritas aliter, q̃ gręce eam tractanti-
bus,etiã apud imperitos,experteſq; linguæ non eſt. Neq; alicui
debet mirum uideri, quod non alię quoq; lingue rebus impone
re propria vocabula potuerint, nã cæteræ omnes aduentitię di-
ci,& mixtę poſſunt, & tanq̃ riuuli ex hoc quaſi fonte deducti,
hæc ſola pura eſt, & incorrupta, & pene vna cum rebus ipſis à
natura vr̃ procreata,quam ẽt profecto,ſi loqui poſſet, nõ alia vn
q̃ vſuram docti putant,cõſtat.n. ſolos inter homines αὐτόχθονας
dici græcos, Athenienſeſq; ꝓſertim, nam Plato in Menexeno di
cit Atticã tellurem primum homines produxiſſe, cũ cętere Re-
giones Bruta tñ ederent,& ipſam linguam eodem pacto debe-
mus exiſtimare vna cum ipſis hominibus,& rebus natura auto-
re natam,cuius etiam rei illud eſſe argumento põt,ꝙ (vt ait Ho-
ratius prima ſecundi lib.ad Auguſtum Epiſtola) grecorũ antiqſ
ſima quęq; ſcripta vel optima,qđ non ita in cęteris fit; rudes.n.

omnium linguarũ primos fuiſſe autores,& ſcriptores videmus,
vt in latinis, quam etiam ſententiam vr̃ cõfirmaſſe Petrus Victo-
„ rius,qui in ſua pfatione in Ariſtotelis Poeticam dicit,Naturã ip-
„ ſam græcos illos diuinos Poetas ſuo,quosq; ĩ genere primos vi-
„ deri informaſſe, Artem vero,& diligẽtiam noſtros potius expoſ-
liſſe. Quare iure optimo in ſuo Cratylo contendit Plato verbo-
rum notiones eſſe naturales τῇ φύσει σημαίνειν, de græcã tãtũ, de
qua ſermo habebatur,intelligens,cui mea quidem ſententia non
aduerſatur Ariſtoteles,vt ex re nata Porphirij, Philoponi, Sim-
plicij, Boethij, Pici, Beſſarionis,& aliorum,ſententia adiungetur,
qui arbitrantur à Platonis doctrina non diſcrepare niſi vocibus
Ariſtotelem,cum Plato de greca tantum,iſte non de græca, ſed
de cæteris loqui putandus ſit,quas concedimus inuentis, atq; fi-
ctis ab hominum ſolertia vocabulis animi ſenſa explicare. Iuris
prudentib. olim conceſsiſſem grecas literas minus eſſe neceſſa-
rias,ſed poſtq̃ pclaras quorundam doctiſsimorum hominũ di-
ſputationes legi, quibus demonſtratur ob græcæ linguæ ignora
tionem multa damna eſſe legibus importata, & quamplurimos
ex Principibus quoq;, vt Bartholum,& Accurſium in illarũ in-
terpretatione hallucinatos,illis quoq; neceſſariam iudicaui. Nã
primũ editæ,ſuperiorib. annis ſunt à Viglio Zuichemo inſtitu-
tiones Iuſtiniani græcæ,quas primus extare admonuerat Politia-
nus à Theophilo grecis literis vberius declaratæ, quæ ita plane,
dilucide,& enucleate res oẽs,difficultatesq; explicant, vt ſine vl
lis ſcholijs poſsint intelligi. Nam Theophilus vbi locum, vel rei
breuitate,vel ſua natura ſubobſcurum uidit,facta προθεωρήσει, q̃
euidentialia vulgus Iuriſperitorum uocant, rem oẽm aperit, &
quaſi ſub oculos ponit,& multa, quorum cognitionem amiſera
mus amiſſo ẽt Romano Imperio,& illis iuris cõſuetudinibus,&
ritibus aperte(vt etiam aſſerit Politianus) demonſtrant,& mul-
tis diuerticula erroribus tollũtur,quemadmodum de uſuris eue-
nit(vt vnum ex multis afferatur exemplum)quarum cognitionẽ
diu ignorarunt Iuriſconſulti quoad.ſ. pclarum illud literarũ lu-
men Hermolaus inquam Barbarus in Plinium ſecũda editione,
nam in prima adhuc cũ cæteris ſentiebat, his Inſtitutionibus,vt
docti ſuſpicantur,ubi enucleate res explicatur,admonitus, lucẽ
huic rei attulit, & declarauit;Quam rem multo ſe ante uidiſſe di-
cit Portius Vicentinus Iuriſcõſultus in lib. de monetis, ſed ego
cum Georgio Agricola ſentio,qui dicit,ut hoc uerum eſſe põt,

ita fuiſſe futurum multo credibilius, ſi Barbaro viuente hanc ſibi gloriam uindicaſſet. Græcos ꝑterea cõſtat primos in ius noſtrũ à Iuſtiniano digeſtum Scholia conſcripſiſſe, paragraphas, & paratitla, q̃ noſtri gloſſas appellant, q̃ quidem eo puriores, & veriores latinis ſunt, quò vetuſtiores, & à fontib. ipſis hauſtę, nam in Italia ante cccc. annos Longobardicis legibus, & inſtitutis vtebamur. Et cum Conſtantinopolim ceſsiſſet Imperium, in ea Ciuitate; vt Beryti in Phęnitia, q̃ terremotu cõcidit, Ius Ciuile græce interꝑtari ceptũ eſt; tribus. n. tm̃ locis licebat ius docere, his duobus, & Romæ. Inſtitutiones Iuſtiniani nouæ, quas Nouellas, ſeu Authenticas vulgo vocãt, grece primum ſunt editę, mox barbare & in latinum verſæ, quod ſuperiorib. tm̃ annis animaduerſum eſt, cum primum gręce iterũ ſunt editæ cum latina Haloandri interpretatione meliori. Ex quibus ſuperiores in numeris fuiſſe refertas errorib. compertum eſt, cum eſſent ab vtriuſque linguę pariter Imperito conuerſæ; In Pandectis Florentinis grecæ Modeſtini leges habentur integrę, eædemq; Pãdectę, ſeu digeſta vberius in græcum tranſlata, ad ritus Romanos exteris ignotos declarandos, in hac ipſa Diui Marci Bibliotheca dñr aſſeruari, & in omnib. deniq; partibus illarum, multa ab illis 37. legum conditoribus (tot. n. Politianus enumerat) gręcorum autorum teſtimonio, & autoritate confirmanſ, Poetarũ, Oratorũ, Philoſophorum, Medicorum, & Hiſtoriæ cõſcriptorum. Adde quod ſuperiori ętate doctiſsimi quidam Viri, ut Budęus, Alciatus, Antonius Auguſtinus, Viglius Zuichemus, & alij cęperunt hanc doctrinam græcis adhibitis literis illuſtrare, excolere, & expurgare exploſis ridiculis quibuſdam Accurſij, & aliorum gloſſis, qui ſic loca quædam conſueuerant interpretari, vt dicerent, vbi grecum aliquod verbum incidiſſet, gręcum eſt, non poteſt legi, græcum eſt, prætereatur.

Reſtat extrema, & ſuprema omnium diuina ſcientia, quã græco vocabulo vſu facto latino θεολογίαν appellamus. Hæc quoq; maxime omnium gręcis indiget literis, Nam (vt omittam ueterẽ illam Orphei, & Mercurij cognomẽto Termaximi, & Sibillarũ) hæc noſtra, & vere Chriſtiana ſine gręcis literis cognoſci exquiſite non põt, grece. n. ſcripta ſunt omnia, quibus noſtra nititur ſalus, & fides., hac lingua primum ſacri ueteres libri ex Hebræo ſunt ſermone conuerſi, hac lingua cælitus ſibi infuſa ſanctiſsimi illi Viri diſſeminarunt, Religionem, & fidei ſundamenta iecerũt

opta-

optatiſsimum illum de redempto humano genere nuncium, & εὐαγγέλιον afferentes, hac myſteria ſacra, quaſi tubæ diuulgarũt tot Eccleſię proceres eloquentisſimi. Baſilius, Gregorius Nazianzenus,& alter Nyſſenus, aurei oris ille Chryſoſtomus, Clemens, Origenes, Cyrillus, Theophylactus, Athanaſius, Epiphanius, alijq́; quamplurimi. Neq; ſolum ad iſtorum ſcripta intelligenda, ſed myſteriorum ẽt cauſa Theologo retinendam græcã linguam cenſeo, cum nõ ſine maximo myſterio inſtitutum eſſe à Patribus ſanctiſsimis putem, ut in omnibus ſacris græcum aliquod uerbum uſurpetur, & cum græca lingua cum latina, atq; Hebręa tanq̃ teſtis interfuerit in Cruce, dum hominum generis redẽptor, & Creator Deus ab interitu, ſempiternisq́; ſupplicijs, maximis ipſe tormentis, excipiẽdis, & morte acerbiſsima ſubeũda uindicaret. D. certe Auguſtinus eam neceſſariam iudicauit, q̃ Catonem imitatus grandi iam ætate illam didiciſſe fertur, & ſanctiſsime olim in Viennenſi concilio, quod anno 12. ſupra Milleſimum trecenteſimum fuit celebratum, Clemente V. Põtificem max. agente, decretum fuit, ut quicunq́; ſacerdotij munere fungi uellent, græcam, latinam, Hebręam, & Chaldæam etiam linguam tenerent, quod mox arbitror fuiſſe hominum inertiæ condonatum. Budæus profectò in 3. libro de tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianiſmũ, ita diſputat, ut poſtremo cõcludat in hac ſnĩam.
„ Proinde hominem philoſophum hæc æſtimantem oportet, &
„ neceſſe eſt Cruce dominica humeris ſuis iniuncta, quaſi quadã
„ ærũna Chriſtũ ipſum Crucifixum Diui Pauli delitias in ſinu cir
„ cũferre, tũ Chriſtianiſmi placita fixa in corde ſuo, inciſaq; habe
„ re literis latinis, & Græcis, ac ſi fieri poteſt etiam hebraicis. Ego quidem certe cum ad me olim Triceſimenſe ſacerdotiũ eſſet delatum, cuius meminiſſe ſine meorum temporũ recordatione nõ poſſum, ſtatui Hebræam quoq; linguam cum græca, atq; latina coniungendam, ratus, vt eſt re ipſa, ſummopere neceſſariã ad arcana ſacrarũ literarum cũ expiſcanda, tũ percipienda myſteria.

Expugnatis mœnibus ad euertendam arcem, in quam iſti linguę grȩcȩ confugiunt obtrectatores, aggrediar, quam ſuperiori concione labefactatam facile, & prima impreſsione me exturbaturum puto. Cum igitur negare amplius non poſſunt omnes artes, & diſciplinas græcarum literarum lumen deſiderare, & ſine græcis autoribus non poſſe comparari, hanc nobis grȩcæ linguæ neceſsitatem dicunt doctorum Hominum opera, qui græ

ea uerterũt,detrahi; Vt quãto tandẽ in errore uerſentur,intelligant, Demoſtrabo,neq; res,neq; uerba, quibus duob.omnis nititur rerum conuerſarũ fides, aptè poſſe in latinum è græco trãſferri,quo probato omnis iſtorum rõ,firmamẽtum,& quaſi propugnaculum,concidet,dilabetur, corruet, funditus euertetur, proſternẽt,ſolo æquabitur,exterminabitur & (vt ὕστερον πρότερον agamus) priusq; de verbis hoc omnib. eſſe perſpectum, atque exploratum uolo,quod eiuſmodi gręca potiſsimum eſt lingua, ut q̃dam propria habeat,quoſdam (ut græci uocant) ἰδιοτισμοὺς ita ſuos,ut eſſe aliorum nullo pacto poſsint, q̃dam quoq; uerba q̃ nulla rõne deduci in aliam linguam queant,non dicã uno uerbo, ſed ne lõga quidem oratione,multiſq; uerbis. Aulus Gellius it manibus,atq; pedibus (ut aiunt) in hanc ſententiam, ut multa græca ſint uerba,quorum notionem latina lingua nõ capiat,aut
» poſsit exprimere. Adiecimus (inquit lib. 9. c. 16.) ſæpe animũ ad
» uocabula rerum non paucisſima, quę neque ſingulis uerbis,ut à
» græcis,neq; ſi maxime pluribus eas res uerbis dicamus,tam dilu
» cide,tamq; apte demonſtrari latina oratione poſſunt, quã græci
» ea dicunt priuis uocibus, cuiuſmodi fuiſſe dicit Plutarchi titulũ περὶ πολυπραγμοσύνης. Lucretius lib. 1. in hanc quoque deſcendit ſententiam, ubi ſe excuſat, quòd græcis utatur uerbis, cum latine dici non poſsint.

Nunc & Anaxagoræ ſcrutemur, omæomerian,
Quam Graij perhibent,nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis Patrij ſermonis Egeſtas.

Quod etiã in proœmio, ſeu propoſitione dixerat,de hoc ſe multo ante excuſans, q̃.ſ.in græcorum doctrina,præceptisque explicandis græca eſſet uerba adhibiturus.

Nec me animus fallit Graiorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare latinis verſibus eſſe,
Multa nouis verbis,pręſertim cum ſit agendum
Propter egeſtatem linguæ,& rerum nouitatem.
Et in tertio in eandẽ ſententiam — rationẽ reddere auentem
Abſtrahit inuitum patrij ſermonis egeſtas.

Marcus quoq; Manilius in Proœmio li. 3. de eadẽ re ſe excuſat.

—— nec dulcia carmina quæras
Ornari res ipſa negat,contenta doceri,
Et ſi qua externa referentur nomina lingua,
Hoc operis,non vatis erit,non omnia flecti

Poſſunt, & propria melius ſub voce notantur.

D. Hieronimus affirmat proprietatem græcam latino ſermone
non exprimi. Budæus in doctis illis græcæ linguæ commentarijs
multis in locis teſtatur latinos gręcorum uerborum, & loquēdi
formularum rationem, & proprietatem imitari, aut aſſequi non
potuiſſe, q̄ multa ipſe collegit, & ego ne longum faciam, ꝑtereo,
ad illum reijciens harum cupidos Epularum. idem ſentit Quin-
,, tilianus. Qui li. 1. cap. 5. de cōpoſitis nominibus, & factis loquēs
,, ait. Sed res tota magis gręcos decet, nobis minus ſuccedit, neq;
,, id fieri natura puto, ſed alienis fauemus, ideoq; cum χυρταυχένα
,, mirati, ſumus, incuruiceruicum uix à riſu defendimus, in quo tñ
illi non aſſentior, quod non fieri id natura dicat, nam uoluit quo
cunq; pacto, hāc græcæ linguæ prærogatiuam obſcurare, & Ro
manos tueri. Cicero cū ſępe inuertēdo illo græco uerbo ἀξίωμα
laboraſſet modo interpretans effatum, modo pronuntiatum, mō
enuntiatum, quia ſibi uidebatur uim uerbi minime expreſsiſſe,
,, ait, utar poſt alio, ſi inuenero melius, & in 3. de fin. Equidem ſo-
,, leo, quod uno gręci, ſi aliter nō poſſum, idem pluribus uerbis ex
,, ponere, & tñ puto concedi nobis oportere, ut græco uerbo uta-
,, mur, ſiquando minus occurret latinum. Et in eodem lib. querit
ꝙ nobis in hac inopi lingua latina non concedatur factis nomi-
nibus, & nouis uti, quod licebat gręcis in illorum lingua copio-
ſa, ut Zenonem feciſſe dicit. Nec quenq̄ moueat, quod interdum
ſit græcos inſectatus, & inopem gręcam linguam appellarit, lati
namq; illa aliquando dixerit uberiorem, nam (ut interpretatur
Budęus primo de aſſe, ubi de hoc illum & reprehendit, & excu-
ſat) non ex animi ſui ſententia dixit, ſed aurę populari inſeruiēs,
& in commentarijs linguę græcæ ea de cauſa ab illo id factū di-
cit, ut inuidiam in ſe concitatam Romanorum hominum miti-
garet, qui eum accuſabant, quòd nimis eſſet græcorum amator,
φιλέλλην, quem ipſemet aliquando in Epiſtola ad Atticum eſ-
ſe ſe profitetur. Idem Cicero (ut ad alteram partem trāſeamus)
Vim, & Elegantiam rerum ipſarum transferri non poſſe, autor
eſt, qui dicit Odyſſeam Homeri latinam factam ab Andronico
eſse tanquàm opus Dædali, nempe rude, aſperum, & inelegans;
& in tertio de Or. quāuis dicat non eſſe ex his, quæ fieri non poſ
ſunt, ut græcorum prudentia latine tradatur, tamen affirmat lon
,, ge eſſe difficillimum, & neminem adhuc aſſecutum. Quanq; nō
,, hęc ita ſtatuo, atq; decerno, ut deſperem latine ea de quibus di-

ſputauimus

ſputáuimus tradi,ac perpoliri,patitur.n.& lingua noſtra,& natu
ra rerum veterem illam,excellentemq; prudentiam græcorũ ad
noſtrum vſum,moremq; transferri,ſed hominibus opus eſt eru
ditis,qui adhuc in hoc quidem genere noſtri nulli fuerunt, ſin
quando extiterint, etiã græcis erunt anteponendi. Gellius vero
in ſecundo libro cap. 23.id apertiſsime declarat,vbi oſtendit nõ
poſſe lumẽ,& veneres græcæ orationis latinos Poetas, q̃ ex grę
cis comœdias vertebant,aſſequi. At.n.ſi conferas (inquit) & cõ-
ponas græca ipſa,vnde illa venerunt,ac ſingula conſiderate,atq;
apte iunctis,& alternis lectionibus committas, oppido quã iace
re,atq; ſordere incipiunt, quæ latina ſunt, ita græcorum,quas
æmulari nequiuerunt,facetijs,atq; luminibus obſoleſcunt, & re
liqua,quæ plurima in hanc ſententiam perpetuo illo capite diſſe
rit,quod demum hoc fine claudit. Itaq; vt ſupra dixi,cum hæc
Cæcilij verba ſeorſim lego,neutiq̃ videntur ingrata,ignauaque,
cum autem græca comparo,non puto Cæcilium ſequi debuiſſe,
quod aſſequi nequiret,quam ſententiam tuetur lib. 9. vbi docet,
qui ſit modus græcas ſententias vertendi. Non ſemper (ait) eni-
tendum eſt,vt omnia omnino verba in eum,in quem dicta ſunt,
modum vertamus. Perdunt.n.gratiam,pleraq; ſi quaſi inuita, &
recuſantia violentius transferantur, quod ſeruaſſe Vergilium in
Bucolicis dicit. Iacobus Papienſis Cardinalis Vir acerrimi Iudi
cij præclare in quadam Epiſtola ad Politianum, qui ad illũ miſe
rat Homerum à ſe conuerſum, illiusq; Iudicium quærebat, ſic
ait. Homerum ſi quis roget,num latinum fieri ſe velit,verſumq;
verſui reddi,vereor, ne videns tranſmarina multa inter græcos,
quam noſtros ſentiri, linguę porrò cuiusq; ſuam excellentiam
eſſe,quam vix in aliena eſt aſſequi,denique barbam menti,nec la
tinum plane arguere,nec gręcum referre,inq̃ vereor, ne reſpon
deat,malle ſe Colophonium,q̃ Florentinum haberi, & pallium
quam togam,græcis membris aptius conuenire, tum eorum iu-
dicium laudet,qui magno ingenio præditi,cum diffiderent eun-
dem reddi poſſe noſtris, qui eſt apud ſuos, maluerunt imitari,
quam vertere. Claudius Tolomeus inter recentiores hetruſcæ

,, Liuius teſtatur) ſic ait in hanc ſententiam . (Vi dico,che mi
,, par prudentiſsimo il voſtro diſegno di entrar in queſta ſolta ſel
,, ua delle dottrine con la guida delli ſcrittori greci, & della lingua
,, greca,percio che ben ſi può dire,che eſsi ſiano i Maeſtri de tut-
,, ti gl'altri,& Principio,& Origine di tutte le buone ſcientie, qua
,, li meglio è aſſai legger nella lingua lor ꝓpria,che nella tradotta,
,, perche in queſta, non coſi viuamente ſi ſcolpiſſe il ſentimento,è
,, la proprietà,& la gratia,come nella natiua .) In hanc ſentẽtiam
,, videtur diſceſsiſſe,& Benedictus Varchius in oratione ſuá in fu
,, nere Card.Bembi,ubi ait.(Ne baſtãdogli queſta, come quegli,
,, che ben ſapeua,che ſenza l'Idioma greco,non ſolo non ſi pote-
,, uano intendere perfettamente le ſcienze, ma ne anchora le coſe
,, Romane.) Politianus in pręfatione ſua in Suetoniũ. Cõtuli græ
,, cum Ariſtotelem cum Teutonico, hoc eſt eloquentiſsimum cũ
,, infantiſsimo,& elingui. Hei mihi qualis erat,quantum mutatus
,, ab illo. Vidi eum,uidi,& uidiſſe pœnituit non conuerſum è grę-
,, co,ſed planè peruerſum, ſic vt ne minimum quidem,alterius ve
ſtigiũ in altero appareret. Quid plura?ſi ipſe Cicero Romanę,&
gręcę pariter eloquẽtię Pater,& Princeps,ꝗ vim Demoſthenis,
copiam Platonis,ſuauitatem Iſocratis,teſte Quintiliano, & oẽs
meo iudicio omnium gręcorum veneres,& ornamenta ſua ora-
tione expreſsit,in vertendo defecit,& atticum Xenophontis le-
porem,quem in proprium ſuccum, atq; latinum ſanguinẽ imi-
tando conuerterat, in transferendo non ſolum aſſequi non po-
tuit,ſed in uitium incidit illi contrarium,vt in Oeconomico eue
,, nit.de quo D.Hieronimus in eo opere(inquit) ita ſępe aureum
,, illud flumen eloquentiæ ſcabris, & turbulentis obijcibus retar-
,, datur,vt qui interpretatum neſciunt,à Cicerone dicta non cre-
,, dant, Idemq; in verbis multis è græco uertendis non effugit do
ctorum hominum reprehenſionem, vt in verbo ἐντελέχεια, de
quo reprehenſus ab Argyropolo,à Politiano defenditur in mi-
ſcell. & rurſus à Budæo in primo de aſſe exagitatur, & in uerbo
ἀντίστροφος, de quo Petrus Victorius,& Maiorag.digladiantur,
Plato à Doctiſ. Viris eſt ſuperiori ſeculo conuerſus,tñ nothus,
& Academica Vappa à Corrado Heresbacchio doctiſsimo ho-
mine appellatur,eo ꝙ latine illum loqui inexplicabilis,& copia,
& ſuauitas reclamet. Nicolaus Perottus optime omnium uertiſ
ſe Polybium exiſtimatus eſt,ſi quis tamen cum græco cõponat,
multa deſiderari inueniet,nam præter cętera totas ipſas paginas

ſubter-

ſubterfilit, & præſertim in 3. libris poſterioribus, eo quod (ut arbitror) diffideret eleganter poſſe transferri, uel omnino non inepte transferri. Petrus Halcyonius vir doctiſs. nonnullos Ariſtotelis libros interpretatus eſt, atq; omnem induſtriam in eo poſuit, vt ſententias Philoſophi, Ciceronis uerbis exprimeret, tñ labores illius probati nõ ſunt, neq; enim in ſcholas Philoſophorum receptus eſt, & ſtatim exortus eſt eruditus ſane vir, & accuratus, qui eum magnopere reprehendit, & volumen de illius, in illo opere erratis, diuulgauit. Theodorus Gaza natione gręcus, & latine eruditiſsimus, qui maxime huic noſtræ ſentẽtiæ eſſe ſolebat aduerſarius, cum diceret omnia poſſe conuerti, quod maxime profitetᷣ in pfatione ſua in libros Ariſtotelis de animalibus,
„ ubi ſe Xyſto. 4. Pontifici uenditat his verbis. Sed.n. ſufficit lin
„ gua latina ſingulis gręcæ orationis, ſiue uocabulis, ſiue ſentẽtijs,
„ quamq̃ nonnulli, q̃ latine exprimere nequeunt, hæc inopiæ lin-
„ guæ tribuunt, ſuamq́; paupertatem uitio dare linguæ locupletiſſimæ audent. Hic inquàm ipſe Gaza, qui ſe omnia uertere poſſe prædicabat, ab eodem Halcyonio deriſus, atq; cõtemptus in eo eſt, multiſq; in locis ab Hermolao, qui eum aliquando ut opt. interpretẽ laudauit, à Politiano in miſcell. & alijs doctiſs. Viris eſt accuſatus. Victor Fauſtus Ariſtotelis mechanica multo diligentius, ac uerius, quam quiſquàm uel ante eum, vel poſt eum tranſtulit, tamen cum ſibi ipſi non ſatis adhuc faceret extrema ætate rurſum uertere aggreſſus fuerat, vt & alios prorſus omnes, & ſe ipſum vinceret, ut uerbis ipſis utar, doctiſs. Viri Pauli Rhamnuſij, & mihi (quę eius eſt humanitas) coniunctiſsimi. Robortellus Eraſmi hominis alioqui eruditiſs. & niſi ſe nefaria illa impietatis labe inquinaſſet, nominis immortalitate digniſs. quę nũc illi merito legis ſanctiſsimæ pœna adempta eſt, errores quã plurimos in Callimachi verſibus paucíſs. demonſtrauit. Paulus Manuccius latine dicendi laude celeberrimus 4. Demoſthenis vertit orationes, Robortelus illum accuſat, & pluſquàm quinquaginta in illis errata deprehẽdiſſe affirmat, q̃uis vnum tãtum, aut

ſtotelis Interpretes contēnit,& accuſat in prçfatione ſua in Themiſtium ad Siſtum 4. his verbis. Oppido quàm mihi in hac interpretatione laboratum eſt, Non tam, quòd nihil iuuari ab his autoribus potui, qui Ariſtotelem commētati fœde, & barbare pridem ſunt, quam quòd ne ab illis quoque, qui ætate noſtra latinā eloquentiam profeſsi græca eius Philoſophi commentaria tranſtulerunt. Horum plerique, dum alienam inſcitiam inſectantur, ſuam prodidere, adeo omnia ab his peruerſe, deprauateq; ſunt ſcripta, ut ſi quis interpretationes eorum cum illis ueteribus cōferat, quas reprehendunt, uel in aliqua Ariſtophanis libra, aut Critolai, appenſas examinet, utræ earum uergant internoſci nō poſsit; percenſerem ſingillatim, quæcunque peccaſſent, niſi plura eorum eſſent errata, quàm uerba. Neque tamen is ipſe, quāuis inaudita, & ſingulari eruditionis laude præſtiterit, omnibus ſatisfecit. Nemo deniq; (ne plures perſequar, Sed in huius Doctiſſimi viri exēplo terminetur, quæ à Cicerone in choauit oratio.) tam bonus eſt Interpres, qui non hallucinatus aliquando fuiſſe deprehendatur, nemo tam Lynceus in uertendo, qui nuſq̃ incurrerit, nuſquàm offenderit, aut denique reprehenſione omni, & nota uacet. Sed ſi in bonis Interpretibus hæc eueniunt incommoda, quid de malis, quorum plena ſunt omnia, erit ſperandum? Omnia profecto confundunt, atque peruertunt, & plerunquè ſua perturbatione efficiunt, ut animos diſcentium à rerū cognitione deterreant, quicquàm ſe aſſequi poſſe diffidentes, vt multis in Hermogene Rhetore omnium poſt Ariſtotilem acutiſsimo, & optimo eueniſſe animaduerti, cum in quendam Terræ filium Interpretem, Bonfinem credo, incidiſſent, qui non cōuertit, ſed funditus peruertit, atque confudit, in eo enim (ut ipſe olim adoleſcens, cum in illius ideas, mea quædam commentaria conſcriberem, annotaui) nulla pagella eſt, nulla propè periodus, atque comprehenſio, ne uerſiculum, dicam, qui uacet erroribus, multos huius ordinis Interpretes poſſem nominare, ſed cum breuitatis ſtudio libenter omitto, tum libentius, quia de aliorum ſcriptis iudicare, & dicere periculoſum hac prçſertim tempeſtate duco, Et ipſe etiam natura ab aliorum culpis exagitandis toto animo abhorreo. Nam vertere nimirum, & Interpretis munere perfungi longe eſt, ac nonnulli putant difficilius, & ſpiſsius. Oportet enim eum, qui uertit utramque primum linguam, & ex qua, & in quam uertit optime noſſe, & om-

nem.

nem inueſtigaſſe uerborum proprietatem, deinde rem ipſam, de qua agitur penitus intelligere. Idem enim eſt, ac fortaſſe maius, quam ſi doceas, quotus autem quiſq; eſt, qui non potius exercitationis, & diſcendi cauſa, prima etiam ætate operam det græcis vertendis? & quomodo nos poterit recte docere, qui diſcat, & in eodem, quo nos curſu ſit? Adde quod, ſi qui forte linguarum periti ſunt, res plerunq; non intelligunt, & qui res tenent, linguarum nitorem, & elegantiam non agnoſcunt, late.n. videmus patere, & in pleriſq; omnibus, hoc eſſe diſsidium linguæ, atq; cordis, quorum vtrunque neceſſe eſt errare, & in eo, quod non optime nouit, hallucinari, Hinc latini ſermonis puritas eſt corrupta, hinc in latinam elegãtiam inuecta barbaries, dum.ſ. aut rerum, aut uerborum notionibus ignoratis gręca male interpretantur, hinc fieri videmus, vt nihil aliud ſonent doctorum hominum cõmentaria, niſi hic, ille hallucinatus eſt, non bene uertit, non intellexit, & alia huiuſmodi, pleriq; animaduerſiones conſcribunt, quidam ueritate ipſa, quaſi tormentis coacti, retractationes, alij ne ab alijs id contumeliæ accipiant, anteuertunt, & ſuos ipſi errores in ſecundis editionibus produnt, ſeq́; falſos fuiſſe, & in errore verſatos ingenue fatẽtur. Accedit poſtremo quòd multa ſunt ambigua, multa compoſita, quæ niſi longa oratione dici à latinis poſſunt, habent enim, id proprium græci, ut unico uerbo uel ſeptem (vt alicubi annotauit Robortelus) notiones compoſitione cõiunctas exprimant, multa in partium orationis vſu, participijſque prſertim uarietas, multa interdum ita de induſtria, uel etiam caſu facta, & collocata, ut plures ſenſus recipiãt, & de multis uariæ plerunque ſunt, diſcrepanteſque ſententię, Interpres uero quamuis bonus, unam tantum & poteſt, & debet explicare, & illius ſibi iudicio ſtandum, & ſententię. Quid cum oratorio more (ut ipſi interpretantur) per paraphraſim, metaphraſim & ecphraſim, alioue pacto, & ratione conuertunt, multa addentes, & quaſi purpureum, qui late ſplendeat, pãnum uolentes aſſuere (duo enim hæc facit Cicero genera vertendi in optimo genere Orat. Vnum ut interpres, alterum ut Orator,

ſcias? Age tandem demus omnia, optimum habeas Interpretem, qui utroque ſermone ſit pariter eruditus, res exquiſite nouerit, diligentiſsime conuerterit, neque vnquam, melior, quam bonus Homerus, dormitarit, & quod mihi uidetur ex his eſſe, quę fieri non poſſunt; ſumma fuerit uſus felicitate in græcorum uerborum proprietate referenda, plusquàm humana denique minerua ſcripſerit, vnus adhuc ſcrupulus remanebit, non quieſcet animus, cupies eum ipſum, quem legis eo legere ſermone, quo ſcripſerit. Hæc excelſum animum, & præclarum ſemper anget cura, hoc ſemper deſiderium vexabit. Vt enim de magnis rebus alium niſi ea, qua utatur lingua alloqui nemo uelit, ſic non alijs, quam quibus ſua quiſque animi ſenſa commendarit literarũ monumẽtis, legere. Themiſtocles nobis unus pro multis eſſe in hoc argumẽtis poteſt, qui cũ exularet apud Perſas non prius uoluit Xerſem Regem conuenire, & alloqui, quàm Perſicum, quo utebatur ille, ſermonem didiciſſet, quod breuiſſimo temporis curriculo, quæ erat infinita hominis memoria, eſt aſſecutus, accedit Ouidius, qui cum inter Scythas, & Getas eſſet relegatus, eorum linguam didicit, & in ea etiam ſcripſit. Additur Mithridates Rex, qui totidem linguas tenuit, quot erant Populi, quibus imperabat, duas ſcilicet, & uiginti, ut ſine interpretis opera alloquentes intelligeret, & ſua illis etiam exprimere ſenſa animi, iusque ſingulis illorum lingua poſſet reddere. Craſſus denique perhibetur, qui cum prę eſſet Aſiæ magnam ex hoc ſibi gloriam, & gratiam comparauit, quod qua quisq; ad eum lingua poſtulaſſet, eadem ius reddidit. Neque minus autoritatis, quãuis ſit mulier, hẽbit in hac teſtimonij dictione Cleopatra, quæ perraro, ut in Antonio Plutarchus, per interpretem quemquàm eſt allocuta, ſed ſemper qua quiſque lingua quæſiſſet, eadem reſpondit, cum multas ipſa didiciſſet. Ignaui enim nimirum, & puſilli eſt animi, in intelligendo, aut loquendo, quod eſt proprium munus hominis, Vicaria aliorum eſſe opera contentum, cum in corporis uſibus in odorando, guſtando, cæteriſque ſenſibus nullum requiramus Interpretem, aút miniſtrum, & id ſubire incommodi, ut ſi Interpres errauerit, tum cum illo, tanquàm cæcus à cæco deductus periclitere. Sed quid plura? hæc diſputatio iuſtum poſtulat uolumen, & uos iam uideo audiendi ſatietate defeſſos, Me uero uox, & latera

deficiunt,

deficiunt, quamuis ſuperſit argumentum. Quare Nobiliſsimi Adoleſcentes me duce, & autore græcæ linguæ ſtudium capeſcite cum latina coniungentes, dum licet per ætatem, ne uos id olim fruſtra pœniteat non feciſſe.

FINIS.

VENETIIS,

Apud Ioannem Baptiſtam Somaſchum.

∞ IϽ LXXXVI·